

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Joachim Lütkemann


Lineamenta Corporis Physici

Rostochii: Richelius, 1647

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730467678>

Druck Freier  Zugang





Na_3198.

auf in Metaphysik aufzuführen.



LINEAMENTA
Corporis Physici,

Ducta

mente studioq;

JOACHIMI LÜTKE MANNI,
Th. Licentiati, & in Acad. Ro-
stoch. Physices Metaphysicesq; Pro-
fessoris ordinarii.



Expressa Rostochij
Typis JOHANNIS RICHELII,
ANNO d^o I^c LXVIII.



1647.





Amplissimo Viro
D NO
BERNHARDO
CLINGIO,

*Reipubl. patriæ Rostochi-
ensis Consuli prudentissimo,
Fautori meo, Patrono, &
Compatri plurimum
honorando.*



JOACHIMUS LÜTKEMAN,
Acad. Rost. p. t. Rector.
S. in C. J.

IN gratiam Studiorum in
Academia Rostochiensi,
typis Lineamenta hæc Phy-
sica exprimi curavi, ut præ-
lectionum & Disputatio-
num, sine dictandi excipien-
diq; dispendio, præbeant ma-
teriam. Verum q; videa ad te
Amplissime Domine Con-
sul, Compater honoratissi-
me, quem juri dicendo &
administrādæ justitiae præesse
voluit

voluit divina gratia. Non
disputabo, an non aliquando
prodeesse Viro Politico poterit
novisse physica; Neq; enim
haec tibi offero quod Politicus
es, sed quod Christianum te
esse habeam compertum.
Christiano voluptas est, De-
um suum, ubicunque fieri
potest, deprehendere &
palpare; Ast in visibilia Dei,
eternam videlicet tum po-
tentiam, tum divinitatem,
ex iis, quæ fecit, si mente per-
pendis, per uideri si posse, Di-
vus Apostolus non dixisset,
experientia abundè asserit.

Ad divinas laudes, cum aliis
X 3 sæpe,

Sæpe, tam imprimis Psalmus
supra centesimum quadra-
gesimus octavus invitat cre-
aturas ratione destitutas, so-
lem, lunam, stellas lucidas,
cœlos cœlorum, & aquas quæ
sunt supra hos cœlos; terre-
stria item, cete, & omnes
abyssos, ignem, grandine-
m, nivem, exhalationem,
ventum; montes & colles,
arbores & bestias, reptilia
& aves alatas. Quomodo
quod mente vel etiam lingua
destituitur, laudabit Domini-
num? Cum Paulo ajo: Si
mente perpendis, quæ in iis
parauit Creator, ejus vides
poten-

potentiam & divinitatem.
Idcirco iis, qui naturas re-
rum contemplantur, cœlum
& terra annunciat gloriam
Dei nostri. Non ergo incon-
venienter fieri existimo, si ti-
bi, Amplissime Dn. Consul,
viro ad res agendas nato,
contemplationes basce physi-
cas dedico; quia enim Chri-
stianus es, non abhorres ab
iis, quæ laudem tui Creatoris
nobis annunciant. Ne-
cessitatem autem huic mune-
ri insignis tisa benevolentia
imposuit. Recipe, Amplissime
Vir, manu benevola, quod
offerо. Non munus, sed ani-
mum

rum respice. Deus gratias
et pacis te vivere jubeat in-
columem, et in vita Christi
sanum. Vale. Rostochii,
sub initium anni 1647, quem
orbi Christiano salutarem
precor.

PHY-

PHYSICES PRO-
LEGOMENA

Theor. I.

Physica est Scientia Corporis
naturalis, quatenus est naturale.

Obj. Res singulares, infinitae
& mutabiles non constituunt
Scientiam.

Re. Quatenus tales.

II. Q. An Physica sit inventum hu-
manum?

Re. Distinguendo inter inventum
cum fundamento, & sine fundamento.

III. Q. Quanam fit norma Physices?

Re. 1. Norma est magnus naturae
liber, non scripturæ, ratio, quia norma
non tantum sit infallibilis, sed & ad-
æquata. 2. Potest tamen Physica mul-
ta ex S. Scripturâ haurire Ratio, quia
non respuit testimonio humana, mul-
to minus divina.

Obj.

Obj. **Multa** in Scripturâ sunt Physi-
cæ contradicentia.

Ré. Negando, modò diversus obler-
vetur respectus.

IV. *Q. An Chymia sit pars Physics?*

R. Negando, q̄ ia ars non est pars
Scientiæ. Chymia occupata est circa res
naturales, non ut eas cognoscat, sed ut
ex iis aliquid efficiat.

V. Q. An Magia ad Physicam pertineat.

R. Magia Theoretica est sublimior
qvædam abditarum rerum physica-
rum scientia; adeoq; summus physicæ
gradus. Practica istam cognitionem ad
opera admiranda applicat. Ultraq; qva-
tenus naturalis excludit Damoniacam,
quæ cum occultâ revelat, Divinatoria;
cum ludicra decipiendo patrat, vel sen-
sus p̄vertendo, vel objectum remo-
vendo, Praestigiatoria; cum stupenda
opera realia producit Poëtica dici-
tua.

PHY.

PHYSICÆ GENE- RALIS.

CAP. I.

De Principiis Physices.

I. Intrinsica Corporum natura-
lium principia sunt Materia & For-
ma, qvia, ut non sine materiâ, ita nec
sine formâ corpus naturale habetur.
Materia communis est; Omnia enim
sunt extensa: Differentia est à formis.

II. Materia est Principium &
Caussa, ex qvâ Corpus constituitur, est-
que receptaculum formarum, quanti-
tatis & figuræ; Secundatio est Subje-
ctum generationis.

III. Materia est vel *Simplex*, qvæ est
sine formâ, vel *Composita*, qvæ est inte-
grum Corpus.

IV. Q. An Materia simplex Cœli &
Elementorum non sit una, qvæ dicitur
materia prima?

a. 2.

R. Ex

R. Ex transmutatione elementorum materia prima hucusq; nondum est demonstrata. Nos procedimus ita. Separetur divinitus, vel saltem mente forma aquæ à materiâ simplici, item forma aëris à suâ materiâ, tunc quæro: Materia simplex aquæ & aëris differat ne, annon? Si differt, ergo habet formam, & conseqventer non est simplex, quia forma in materialibus dat esse, distinguere & operari. Si non differt, Ergo est una eademque omnium elementorum & coeli materia, quam nos cum Aristotele dicimus primam.

V. Materiæ affectiones sunt
 1. Unitas. Materia est una specie propter formam, extra formam etiam una numero.
 2. Appetitus formæ, non elicitus, sed innatus; non liber, sed naturalis; non absolutus, sed conditionatus; tam desiderii, quam Complacentiæ.
 3. Ingenerabilitas & incorruptibilitas, Materia ingenerabilis est
 & in-

& incorruptibilis terminative, non subjective.

VI. Forma dat esse rei, non effectivę, nec subjectivę, sed formaliter, quatenus seipsā communicādo largitur essentiam, differentiam & operationes.
S^t ling. p. 69.

VII. Formæ vel	1. Assistens	2. Informans	Generica	Specificæ	Latēs in materia	Parti- alū	Tota- lis	{ Materialis Immateri- alis.
						(2)	{	Communi & dicitur Subordina- ta e.g. for- ma vermi- culi in cas- seo.
					Domi- nans.	{	Propria, & dicitur Acci- dentalis. e. g. semen plantæ in cämento occultatū.	

IIX. *Formas dari partiales in toto probatur ex diversitate affectionum,* qvia oriuntur hæ vel ex materiâ, vel ex formâ; non ex materiâ; qvia est indiferens: Si ex formâ, ergò vel ex formâ totali, vel ex formâ partiali. Non prius, qvia forma totalis eadem est in omnibus partibus. Deinde remanent affectiones, etiam formâ totali ablata. Ergò posterius.

IX. *Forma materiales vocamus, qvæ sunt extensæ & divisibiles ad extensionem vel divisionem materiæ, ut forma auri & serpentis. Immaterialis est indivisibilis, qvalis est anima rationalis.*

X. Q. *Utrum forma debeat dici fieri, an compositum?*

R. *Forma est Principale objectum generationū, denominationū subjectum est compositum. Qvia enim forma habet initium, ideo fit; Facta autem formâ compositum dicitur generatum.*

XI. De Origine formarum dicimus
1. non sufficere influentiam Cœli, qvia est

est Causa saltem indeterminata. 2 non sufficere calorem, qvia est Causa tantum instrumentalis. 3. Non sufficere vim ~~actus~~ latentem in semine tanquam Principium motionis & formarum. Qvia aut tantum qualitas ea est, aut substantia. Si nuda qualitas, nequit agere, qvia instrumentum non agit, nisi dirigatur à Causâ Principali. Si substantia est, vel nobilior est forma acquirenda vel ignobilior. Si hoc, nequit esse Causa, qvia effectus in essentiâ non potest nobilior esse, qvam Causa. Si prius, qværo de Origine. Nullum aliud principium afferri potest, qvam forma generantis. Ast sic generatum non est simile generanti. Et cur forma, qvæ potest nobile Principium plasticum producere, non produceret immediatè ipsam formam sibi similem? Aut quid opus medio isto principio? 4. Ergo dicimus, omnem formam generari à formâ specie sibi simili. Probatur ita:

Quid.

Quicquid sibi generat simile, illud communicat formam. Atq; unaq; natura sibi generat simile, qvod confirmat constitutio & Benedictio Dei: Crescite & multiplicamini. Gen. I, II. 12, 22, 28. Ergò communicat formam.

XII. Q. *An forme se multiplicent per divisionem, seu transfusionem; an per novae forma productionem?*

R. Prius concedo in formis materialibus: Posterius in immaterialibus. Nova autem forma quando producitur ex nihilo constituitur, qvia non ex materia. Dices: Ergò Creatur. R. Neg, qvia sit cum dependentia ad materiam. Sit in subjecto naturaliter apto ad formam recipiendam, qvamvis non ex subjecto.

XIII. Q. *In specie de formis partialibus unde sint, an ex virtute forma totali, an ex formis partialibus insinuantibus?*

R. Meo judicio multiplicantur formæ partiales per insinuationem Principiij

9

cipi latenti in semine. *Processus* hic est:
Semen quamdiu est in vasis suis, actu
non habet formam generandam. Es-
sent n. actu multi homines in uno ho-
mene. Qvam primum ejaculatur in
matricem, accedente benedictione di-
vina, fit anima. Nondum tamen ex-
pulsa est forma feminis. Anima autem
generata totam materiam movet, &
formas partiales adhuc latentes, bene-
ficio caloris impellit, ut proprium sibi
struant corpus, seq; in materiam insi-
nuent. Ipsa anima specifica toti operi
præest Domina & directrix, ne pro libi-
tur partiales formæ sedes suos disponant.
Hæc operatio continuatur donec in-
tegrum corpus sit absolutum. Simile
qvid accedit in ovo, quoties ex eo ex-
cluditur pullus. *Dices.* Forma in se-
mine nihil cognoscit. R. Dinstinguo
inter cognitionem sensualem, & natu-
ralem.

XIV. Q. *An in generatione rerum*
a s p r a c t e r

prater principia constitutiva concedendum sit aliquod Principium transmutationis, quod dicunt privationem? Affirm: Qvia omnis generatio est à non esse ad esse. Nam aut objectum mutatur, aut non: si non, nulla sit generatio; si mutatur, ergo aliquid est, quod prius non fuit. Sunt ergò hic duo termini, unus, qui rem constituit in esse, & dicitur *principium constitutivum*, alter, qui continet non-esse, non *negativum*, qvia ex quolibet non sit quodlibet, sed *Privativum*. Et hoc dicitur *principium transmutationis*. Subjectum duobus his principiis contrariis commune est materia. Principium autem transmutativum esse Principium, probatur ita: *Quodcumq; est causa mutatae formæ* [i. e. cur materia veterem formam abjiciat, novamq; admittat] *est principium transmutativum.*

Aliiquid in materia transmutanda est Causa mutatae formæ. E. Aliiquid in materia

teria transmutantæ est principium trans-
mutativum.

Exemplo Minorem declaro: Ex eas-
eo fit vermis. Eadem prorsus casei &
vermium est materia. Quæro cur ma-
teria hæc pristinam formam repudiet,
novamque admittat. Forma vermium,
ais, latet in caseo sub dominio formæ
dominantis, quæ excitata à jugo se libe-
rat, sibiq; propriam sedem aptat. Bene
est. Sit ista formalatens principium a-
ctivum, da etiam passivum. Unde habet
materia, quod actionem principii agé-
tis admittat? Utique ab aliquaque re, quæ
est in materia, eam incitans, ut repudi-
atà formâ pristinâ, novæ se subjiciat,,
absque quæ esset, materia semper Casei
formam retineret. Aliquid ergo est in
caseo, quæ Causa est, cur materia unam
formam amittat, aliamq; recipiat. Idq;
est Principium transmutativum, no-
bisq; dicitur privatio. Aliud exemplum
evidens in nutrimento. Panis materia
suscepit etiam formam sanguinis &
garnis

carnis, rejectâ formâ priori: committe stomacho lapides, hi actionem stomachi non admittent, utut calefaciendo laboret; qvæ cauſſa, si à principio transmutativo abis? Dices. Hoc principium non est distinctum à materiâ. R. Est cum materiâ unum quoad subjectum, differt tamen ab eâ realiter, nam materia manet, etiam cum principium istud, quod privationem vocamus, abiit. Est itaq; Privatio nil aliud, quam conditio aliqua materiae & aptitudo ad formam, qvæ qvia non reperitur in lapide, ex eo nunquam fit Caro.

Obj. Materia aut est sufficenter disposita, aut non: si prius, adeſt forma, non privatio: si posterius, non potest nec debet adeſſe forma, & conſequenter in materiâ non est privatio.

R. Difting. inter *privationem physicam*, & *Metaphysicam*.

XV. Q. An forma fit tota in qualibet parte compositi?

R. Aff. ita tamen ut forma materialis

lilis

lis totâ in qualibet parte esse dicatur partitum, & divisibiliter; immaterialis, puctum & indivisibiliter. Nam quælibet vel minutissima pars auri, habet formam auriq; eamque integrum.

XVI. Q. An formæ intereant?

R. Extra unionem naturaliter existere non possunt, eo quod sunt entia incompleta.

Obj. Quocunq; est, non abit in nihilum.

R. Per instantiam, radii Solares, Lux, actiones abeunt omnino in nihilum.

CAP. II.

De Natura;

Th. I. Materia & forma, quæ dicuntur respectu totius compositi, dicuntur natura respectu motus & operationum.

II. Natura est principium Causale motus & quietū [i. e. Quod principium est essentiae, idem quoq; est Principium

cipium affectionum, actionum & pa-
sionum] 1. *Corpori mobili intrinsecum*
[*Ars est principium extra mobile*] 2.
primum, nec ab alio ortum [e.g. Auto-
matum nonnulla principium habent
intrinsecum motus, sed aliunde ortum,
nempe ab operatione hominis, quæ est
prima caussa, quia autem extrinseca-
non est natura. Visio est à facultate vi-
siva, facultas autem visiva, est ab ipsa a-
nimâ sensitiva, quæ est prima caussa,
adeoque natura esse potest, quia autem
in homine est non primò, sed per aliud,
non quatenus homo, sed quatenus a-
nimal, ideo in animali quidem natura
est anima sensitiva, sed non in homine;
Ita motus, quo fertur res deorsum, ha-
bet principium in statuâ; sed id non
primò est in statuâ, ideoq; nec natura]
3. *Non accidentale* [*Debet inesse per se*:
Nam pertinet ad essentiam. Natura est
in navi, & prima caussa motæ navis;
non tamen natura navis, quia non inest
per. Iesta ars Medici se ipsum curantis
inest

in est ægrotō per accidens) Atque hoc
est, qvod vult definitio Aristotelica:
Natura est Principium & Causa motus
& quietis ejus, in quo in est primō, & per
se, & non secundūm accidens.

III. Natura voluntati opposita agit
necessariò, & semper producit opti-
mum.

Objiciuntur monstra.

R. Sunt non effectus sed defectus
naturæ.

IV. Natura non facit saltum, i. e. ex-
trema non immediate, sed per media
conjungit, probatur per inductionem,

Obj. Generatio substantiarum sit in
momento.

R. Coneeditur, qvia ex nihilo fit
forma, ut autem se insinuet in materi-
am, eamqve efformet, tempus requi-
ritur.

V. Q. An Deus agat contra natu-
ram? Aff. Contra naturam Deus agit,
cum influxum suspendit, hinc ferrum
natat, & sol stat. Supra naturam agit,
cum

cum influxum auget, hinc Virgo parit.
Cum vero influxum auget cum repugnantiâ naturæ, agit & contra & supra naturam. Hinc ferrum ascendit, & sol fit retrogradus.

Obj. Natura non repugnat Creatori.

R. Deus aut tollit naturam solis, aut saltem impedit; Si prius, ex sole fecit non solem: Si posterius, semper manet inclinatio solis ad progreßum.

VI. Q. An Ars fit præstantior, quam natura?

R. Disting. inter artem consideratam vel seorsim, vel conjunctam cum naturâ, posteriori modo ars est præstantior.

C A P. III. De Causis externis, Efficiente & Fine.

Th. I. Efficientem causam habere corpora naturalia patet inde, quia sunt composita; Componuntur ergo vel à se ipsis, vel ab alio, non à se ipsis,

seipſis, ſic enim qvicq;am eſſet Cauſa
ſui ipſius. Ergo ab alio.

II. Cauſa efficiens eſt vel

Prin- cipia- lū.	qvæ vel	Prima - Deus
		secunda { Universalū - Coelū Natura { Parti- { Solitaria, cularū, Socia.
		Instrumentalia.

III. De Cauſis ſociū notandum i.

Qvod ſtent pro unā; Hinc forma nee
à Patre, nec à Matre, ſed ab utroq;.
2. Qvod requirant concurſum influx⁹,
non qvaliſcunq;, qvia & ſolitaria con-
curſum Dei & ſolis admittit; Sed simi-
litudine non ſpeciei, ſed Cauſali-
tati, cum mulus fiat ex afino & eqvā.

IV. Q. Quid in generatione tribuen-
dum Cauſis instrumentib⁹? Dico 1,
Calor eſt instrumentum non Dei, ſed
naturæ. Qvia in omni actione natu-
rali duo ſunt agentia principalia, Deus
& Na-

& Natura: Illius autem instrumentum est, qvod instrumenti operâ indiget. Dico 2. Calor non elevatur ad dignitatem caussæ principalis, sed manet Causa instrumentalis. Qvia nobilitate vi- rium aut par est animali producendo, aut non. Si prius, non accidens est, sed substantia, & qvidem animata. Si po sterius; manet instrumentum. Contra eos, qvi præter calorem Solis nullum agens naturale in generatione vermu tum agnoscunt. Dico 3. Calor ut plu- rimùm promovet generationem vel subiectum corrumpendo, ut in ovo, ubi calor corruptit formam ovi, in cuius locum succedit forma pulli & carnis, si adest; si non, sit putrefactio: Vel humorem attractum attenuat & propellit, ut in plantarum seminibus.

V. Q. An fato mundus regatur? Aff, de fato non stoico, sed Christiano, qvod est ipsa Dei Providentia circa Caussas naturales, eas vel regendo, vel ad indi viduationem determinando, sic fa-
to

to sunt vicissitudines temporis, tempe-
states, & fato generatur & pulcher &
deformis, Sapiens & stolidus,

VI. Q. An sit aliquis particularis
finis agentium naturalium? Aff. Hu-
jus indicium est, quod natura semper
uno eodemque modo agat, eundemque
effectum producat, nisi impediatur.

Obj. Quicquid finem intendit, illud
cognoscit.

R. Distingu. inter cognitionem natu-
ralem, sensualem & rationalem. Natu-
ralis cognitio nihil aliud est, quam de-
terminatio naturae agentis ad certum
effectum.

VII. Q. Quis sit naturae finis summus
& ultimus?

R. 1. Natura non est à se. E. nec
propter se. 2. Deus ut est naturae prin-
cipium, ita & finis ultimus & summus.
3. Deus omnia fecit propter hominem,
hominem propter seipsum. Omnia
Ergo serviunt homini vel quoad usum,
vel quo ad usum, vel mediate, vel imme-
diatè.

CAP.

CAP. IV.
De Casu & Effectibus Ca-
sualibus.

Th. I. Omnis effectus Casualis & for-
tuitus dicitur non respectu providetiae
divinæ, sed respectu naturæ agètis, que
si est intellectualis, oritur fortuna, si
non intellectualis, oritur Casus.

II. Monstrum est defectus na-
turæ insigniter aberrantis à communi
consuetudine. Requirituri. Ut sit aliquis
insignis defectus à cōmuni totius speciei
naturæ, hinc nō quivis longus vel parvus
monstrū est, sed qui ad stupore vel lögus
est, vel parvus. 2. Ut defectus sit à na-
turā. Hinc monstrum est non cui gladi-
us, sed natura nasum abstulit, ob eam-
dem Caussam & Nymphæ aquaticæ &
Tritones non sunt monstra, quia non
sunt defectus naturæ.

III. Caussæ monstrorum potissimum
petendæ sunt ab Efficiente & Materiâ,
hinc crebro monstra generantur in a-
nimæ.

nimalibus, rarissimè in arboribus, nam
semen arborum densius est & minus e-
laborationis reqvitit.

I V. Q. An Natura monstrum in-
tendat?

R. Distingu. inter intentionem pri-
mariam & secundariam.

V. Q. An in monstris dari possint
plures animæ.

R. Affirm. Signa autem pluralitatis
sumuntur ab effectu & morte.

VI. Q. An Pygmai & Gigantes sint
monstra? R. 1. Totam dari pygmæo-
rum nationem fabulosum est. Proba-
tur ab experientiâ nauticâ. Dico 2. Gi-
gantes dari demonstrant & ossa in se-
pulchris reperta & res gestæ. Dico 3.
Et Pygmæi & Gigantes monstra sunt,
quia deficiunt à communi quantitate
humanâ. Sed quæritur ultra: An in to-
râ aliquâ familiâ & natione giganteâ
gigas pro monstro sit babendus?

R. Non habetur pro monstro in suâ
familiâ, quia non deficit à staturâ suæ
familiae

familiæ familiari. Est autem revera monstrum in totâ specie humanâ, qvia deficit à staturâ, qvæ usitata est, & communis toti speciei humanæ.

Obl. Omne intentum à naturâ primò non est defectus naturæ. Gigas in familiâ giganteâ est intentus à naturâ primò. E. non est defectus naturæ. R. Distingu. non inter *naturam individuam* & *specificam*, sed inter *naturam vitiatam* & *integram*. Qvodcunq; natura vitia- ta intendit, est monstrum naturæ inte- græ & incorruptæ. Idem dicendum et- iam est de Æthiope.

VII. Q. *An cæci Catuli monstrâ sint?* Dubitationis ratio est, qvia adest defectus naturæ. Sed distingu. inter *natu- ram genericam* & *specificam*. Hujus, non illius defectus monstrum consti- tuit.

VIII. Q. *An mulus sit monstrum?* Aff. i. propter dissimilitudinem gene- rantis & generati, qvia omne generans non deficiens producit sibi simile.

2, p10,

2 propter defectum benedictionis in propagatione.

IX. Q. An in congressu hominū & bruti possit generari homo? Nego, qvia effectus non potest esse nobilior causā, forsū & ne animal quidem producitur.

X. Q. An monstra aliquid faciant ad pulchritudinem universi? R. Disting. inter pulchrum per se, & ex opinione hominum.

C A P. V.

De Affectionibus Physices.

Th. I. Affectiones Physicæ corpori naturali aut *insunt*, aut *ad sunt*, i. e. aut sunt *intrinseca* aut *extrinseca*.

II. Quantitas est Affectio intrinseca consistens in extensione partis extra partem. Estq; Mater figuræ.

III. Q. An Quantitas sit affectio solidi corporū naturalū? Aff. qvia est materiæ coæva.

Objiciuntur Corpora artificialia, radii solares, Animæ materiales. R. I.

R. I. Corpus artificiale quatenus est quantum, etenus est naturale. 2. Radii sunt quanti quantitate imaginaria, non reali. 3. Animæ sunt quantæ non per se, sed ad extencionem alterius.

IV. Quæritur, An Quantitas à materia differat realiter. Neg: quia separari nullâ potentiatâ possunt. Finge enim separari, tunc quæro: Materia sitne extensa, vel non. Si prius, quanta est materia sine quantitate; Si posterius, spiritus est. Utrumq; absurdum.

V. Quantitas, quia materiæ coæva, nec producitur, nec corruptitur. In rarefactione e.g. aquæ, quælibet atom⁹ aquæ suam retinet quantitatem, sed atomi uniuntur pluribus particulis rarioribus aëris; quas cum excludunt, rarus fit condensatio.

VI. Quantitatem comitatur impenetrabilitas. Dimensionum enim non datur penetratio: Et contrâ dimensione quæ carent, penetrant. Hinc tot species sine confusione sunt in aëre & in cere,

cerebro. Distingue autem inter penetrationem realem & apparentem ut cum chartam bibulam penetrat atramentum.

VII. Q. An Quantitas sit Activa?
N. qvis omnis actio est à formâ. Sicuti autem Qualitas sequitur formam, sic Quantitas materiam.

Obj. Ignis qvò major, hoc magis urit?
R. Non propter molem quantitatis, sed propter copiam qualitatis. Dico ergo secundò; Quantitas inservit multum naturæ ad perficiendas operaciones.

VIII. Q. An detur aliq uid minimum & maximum naturale?

R. Sicut natura in speciebus viventium servat terminos augmentationis, ita in omnibus aliis agnoscit limites diminutionis.

Obj. Omne quantum est Divisibile in infinitū, qvia qvamdiu manet quantum, retinet partem extra partem.

b

R. Di-

R. Disting. inter divisionem mentalem & realem. In divisione reali natura pervenit ad aliquod quantum, quod quidem partem habet extra partem, sed ratione saltem, non re divisibilem.

IX. Qualitas 1. vel est *activa* vel *Passiva*, ut potentia Sulphuris ad recipiendam flammatum. 2. vel *manifesta*, vel *occulta*. 3. vel *realis*, quae agit per contactum realem, vel *intentionalis*, quae agit per contactum virtualem.

X. Motus vel *mutatio* est tendentia corporum naturalium ab *esse* ad non *esse*, Et contra, à non *esse* ad *ESSE*. Intellige *ESSE* tam substantiale, quam accidentale. **SPECIES** ejus sunt *Generatio* & *Corruptio*, *Augmentatio* & *Diminutio*, *Alteratio* & *Motus localis*. Harum specierum ultima tantum est *generalis*. Oppositum motus est *Quies*, quae est permanentia rei in suo statu. Estq; motus partim *Privatio*, partim *finis*.

XI.Q.

XI. Q. An motus locali eius opposita
quietes sint affectiones generales?

R. Distinguimus inter naturam integrum,
& violatam, terra non violata nunquam
movetur, habet a. principium motus
intrinsecum sub conditione, si violatur.

SOL in statu integro & non violato
nunquam quietescit, habet autem Principium
quietis intrinsecum sub conditi-
one, si per violentiam ad locum pere-
grinum, elementarem puta, trahatur.
Nam aut moveretur sursum, & esset
corpus leve; aut deorsum; Et esset
grave. Nec circularis motus convenit.
Nam, ut naturale, solem moveri cir-
culariter: Ita etiam naturale, exactè
observare Ortus & Occasus Circulum,
cumq; non mutare.

Dices: Concedo motum de parte ter-
rae, de totâ terrâ nego. R Natura, quæ
est in parte homogeneâ, est etiam in toto
homogenio.

XII. Quicquid movetur, movetur ab
alio. Aut enim motum concipis sim-
boli plisi,

pliciter, aut *physicum strictè*. Si hoc; Anima movet, sed non movetur, qvìa non est in loco physico & circumscriptivo. Si prius, anima movens corpus, ipsa qvidem movetur, sed ejus principium iterum qværendum, donec perveniat ad motorem aliquem primū, qvi ipse sit immobilis.

XIII. Motus *naturalù* in fine est velocior, *animalù* in medio, *violentius* in principio. Patet experientiā 1. in aqua defluente, qvæ in fine, divisa ruit, propter majorē im petum. 2. In lapide dejecto, qvi graviorem ictum facit in fine.

Sed qværitur de Causâ e R, i. In violenter motis vegetior est impulsus projectoris in initio. 2. Animalis motus incalescit in medio propter spiritu. 3. Naturalem motum auget non tam medium, qvàm gravitas aliquia acquisita & transitoria, qvod demonstrat experientia in lance.

XIV.

XIV. Locus est spatum adæqvatè continens Corpus. Adæqvatè, dico, ut locus proprius distinguitur à communi.

Obj. Spatium est non Ens, qvia alioquin præter Deum aliquod Ens extitisset ab æterno. Locus est Ens.

R. Spatium est non ens, sed non & citium; non entis autem potest esse aliqua relatio. 2. Locus est ens formaliter, non materialiter.

XV. Locus 1. est æqualis locato, 2. est immobilis & incorruptibilis, locato moto vel corrupto. 3 Non est alius quid rei, sed extra rem.

XVI. Q. An locus sit superficies corporis continentis. Neg Primò qvia superficies non est æqualis locato.

Exceptio. Disting. inter æqualitatem dimensionis & extensionis.

R_e. Ad locum requiritur æqualitas dimensionis, qvod patet experientiâ lapidis filo suspensi in vas æqvâ plenum. Secundò, mutatâ superficie, Locus per-

manet immobilis. Unde etiam seqvitur
hoc absurdum, si superficies diceudus
locus est, locatum transferri de loco in
locum, etiam cum reqviescit.

XVII Natura non admittit vacuum
propter cōtinuitatem & unitatē mun-
di. Si vacuum esset inter cœlū & terrā,
vires astrorum aut qviescerent, aut si o-
perarentur, daretur accidens sine subje-
cto. Probatur etiam experientia gravi-
tendentium vel non deorsum vel etiam
sursum. Nec obstat Experientia de Si-
phunculi orificio clauso, cujus pistil-
lum recedit qvamvis ægrè; spatium e-
nim repletur aere.

Dices : Corpora elementaria con-
stant ex atomis, qvæ qvamcunque figu-
ram habeant, in conjunctione relin-
qvunt aliquid vacuum, qvamvis insen-
sile. Rx. Distingu. inter atomos *siccas*,
qvales sunt acervus arenæ; Et *fluidas*,
qvæ propriis terminis non clauduntur,
sed ad alienas se accommodant, ut aqua
& aëris.

31

XIX. Q. Quae sit Causa ascensionis
in corpore gravi ad vitandum vacuum?

R. In qvovis corpore est vis attractiva corporis sequentis.

XIX. Tempus est mensura corporis secundum prius & posterius.

Dices: Talis mensura etiam est motus syderum.

R. Sicut tempus philosophis dicitur numerus, non numerans, sed numeratus: Ita motus Cœlestis est mensura mensurans, Tempus autem est mensura mensurata, vel saltem mensurabilis.

XX. Præsens temporis copula est, non tempus: Qvia non numerat durabilitatem.

Dices: Hac ratione tempus non esset in mundo: Nam cuius nulla pars est, illud ipsum nihil est: Temporis nulla pars est. E.

R. Distinguendum inter Ens permanens & successivum.

XXI. Temporis nulla Efficacia est

b 4

per

per se, sed per accidens, propter activitatem eorum, quae in tempore agunt,

PARTIS SPECIALIS PHYSICÆ

CAP. I.

De Mundo & Corporum speciebus in genere.

Th. I. Species Corporum naturalium omnes collectivè sumptæ Mundum constituunt, qui est ordinata compages omnium corporum naturalium.

Materia ejus constituendi nulla est, Constituti sunt species omnes naturales. Forma est Unitas & ordinatio.

II. Q. An Mundus fit aeternus? R. Ratio sibi relicta nihil certi statuit ut de interioru, ita etiam de creatione mundi: Potuit enim mundus ab aeterno creari, quia Deus ab aeterno fuit omnipotens.

AR-

ARGUMENTA pro æternitate Mundi.

1. Qui cæpit movere, is fuit mutatus.
Deus creans mundum cæpit movere.

2. Deus non est in potentia: Est n,
Actus purus. E, semper operatur.

R. ad primum: Deus per Creationem
non magis mutatur, qvam Sol per illu-
minationem.

ad secundum: Est in Deo potentia
Activa ab Extra.

ARGUMENTA pro Creatio- ne in tempore.

1. Tempus suâ naturâ est finitum: E, non potest esse infinitum.

2. Qvicquid ab æterno est, non est ex nihilo: E, non ab æterno.

R. ad prim. Tempus *intrinsecè* fini-
tum propter esse successivum, *extrin-
secè* potest esse infinitum, qvatenus æ-
terno semper coexistit.

Ad secundum. Ex nihilo est non qvod
ante fuit nihil, sed qvod ex nulla mate-
riâ est.

b s

Th,

34

Th. III. Q. Quō anni tempore manus fit creatus?

R. Tempore æquinoctiali, quo plantæ maturescunt.

IV. Q. An vires naturæ decrescant.

R. Neg.

Obj. 1. Loca olim fœcunda, nunc sunt effæta.

2. Plantæ & Medicamenta multum de viribus amiserunt.

3. Hominis & statura & ætas est diminuta.

R. ad 1. Loci natura habet suas vicissim fœcunditatem, certasque amat ferias, unde non tantum quæ ante fuerunt fœcunda, nunc sunt effæta, sed & quæ olim effæta fuere, nuuc sunt fœcunda.

ad 2. Plantarum vires mutantur pro conditione temporis & loci.

ad 3. Hominis intemperantia & loci natalis conditio statutam & ætatem possunt variare, non tamen ad minimum reducere; Reducerent autem ad minimum, si vires semper decrescerent.

Agno.

Agnosco hic, qvoq; peculiarem ali-
qvam dispensationem Dei, qvæ ut ter-
minos vitæ pro arbitrio præscribit per-
sonis, ita & diversitatem aliquam secu-
lorum decrevit. A peculiari autem di-
spensatione ad universam naturā non
valet consequentia.

V. Mundi contenta sunt duplia :
Omnia enim in mundo corpora vel
sunt simplicia, vel composita. Simplicia
vel sunt absolute talia, vel respectivæ: Se-
para enim ratione formam à Sole, ha-
bebis adhuc integrum corpus.

VI. Q. An per naturam species aliqua
intereat?

Neg. Qvod demonstratur à fine ge-
nerationis, qvi est specierum conser-
vatio.

VII. Q. An per naturam nova aliqua
species oriatur?

N. qvia omne generans generat sibi
simile.

Objicitur mulus & similia. R. illa sunt
naturæ non opera, sed errata.

CAP.

C A P. II.
De Cœlo & Stellis.

I. Cœlum est corpus simplex & subtilissimum & astrorum receptaculum. Est *subtile* ob motum planetarum & aliarum stellarum. Est *perspicuum*, qvia transmittit species visibiles. Est, qvo ad totum, *immobile*, *mobile* qvoad partes, non qvidem si manet integrum, tamen si vim patitur. Cedens enim stellis naturæ ductu rursus coit. Est *incorruptibile*, qvia est simplicissimum. Nec destruitur à se, nec ab alio.

II. Q. Unde sit cœruleus cœli color?
R. Color non est in cœlo, sed in aere,
Scal. qui densatur, non per partium compositionem, sed dispositionem: Nam per distantiam, translucidi partes propter densitatem in rectâ linea præbent speciem corporis condensati, ut ait *Scaliger*: Cœruleus aurem est, ob nigrem tenebrarum mistam lumine.

III. Q. An Cœlum sit rotundum. Aff.
& pro-

& probatur ab amore similiū ad unionem. Omnis raptus similiū cogit in orbem. Hinc, si maxime cælum esset ultimum, non mutaret figuram rotundam.

IV. Q. An dentur Aqvæ supra calestes? Aff. Arg 1. Gen 1, 6.

Exceptio. Per aqvas intelliguntur nubes, & per firmamentum aëris.

R. Aqvæ non elevantur super firmamentum, sed in firmamento. 2 meteora non sunt opera creationis sed naturæ. Arg. 2. Psal. 148, 4. ubi, omnibus creaturis in duas classes redactis, ad superna referuntur aqvæ qvæ sunt supra cœlum; & ad ima referuntur meteora v. 8.

V. Q. An stella sit densior pars sui orbis. Neg. Neq; enim à cœlo stellæ differunt, tanquam rarum à denso, sed formis peculiaribus. Hinc alia natura in unâ, alia in alterâ.

VI. Materia stellarum est lux primo genia: Est n. ea substantia, qvia fuit terminus

minus Creationis : qvia autem bona fuit, non fuit annihilata, sed lucidis corporibus præbuit materiam. Lucent stellæ non ob formam propriam, sed communem lucis primogeniæ, qui effectus communis commune habet principium.

VII. Q. Qvo sensu sol & luna magna luminaria dicantur ?

R. Non ob corporū magnitudinem vel realem, vel apparentem. Nam prius est contra Geometricas demonstraciones; Alterum non admittit denominatio Lunæ, qvà dicitur Luminare minus, cum nō raro sole major cernatur. Magna ergo dicuntur Luminaria ob magnitudinem Lucis.

VIII. Q. Cur in soli luce stellæ non videantur ?

R. Similia se non tollunt, nec qvod fuscum non est, aliud obfuscare potest. Species autem luminis valentior sibi unit debiliorem, ut non sentiatur ea, qvæ est inter utramque, distinctio.

Nam

Nam plurima lumina unita sese ut unum ostendunt.

IX. Q. Cur stellæ fixæ scintillent?

R. Scintillationem stellarum non esse realem, sed apparentem. Causa autem est in distantia & medio. Sed dices: Cur ergo planetæ nō scintillant? **R.** Majorem copiam luminis Sol communicat proximiōri, quam remotiori. Species autem quo est valentior hoc minus turbatur interpositione medii.

X. Q. Unde macula in lunâ? **R.** A rarietate & densitate. Plus luminis capit pars densior, minus pars ratiōr.

XI. Q. Quid sit statuendum de via lactea?

R. 1. Non est meteoron, quia nullum meteoron est perpetuum, nec eandem perpetuo servat distantiam à terrâ. **2.** Via lactea nil aliud est, quam confusum lumen infinitarum stellarum, quod docuit experientia perspicilli mathematici,

XII.

XII. An motus stellarum sit ab Intelligentia, tanquam formâ assistance? Neg. quia omnis motus, cuius movens est exterum, est violentus.

Excep:io. Motus cœli est naturalis respectu principii passivi.

R. Eadem ratione motus lapidis sursum est naturalis 2. Probatur idem experientiâ. Cometæ in ætheræ cursu perficiunt, nec ullius orbis ductum sequuntur, sed feruntur à propriâ naturâ. Dices: omnis motus constantissimus & regularissimus est ab Intelligentia. R. Major Constantia est à Naturâ, quâm à mente.

XIII. Q. an stellæ moveantur in celo liberæ, an orbibus affixa; adeoq; an denatur motus in celo contrarii? Affirmatur prius, quia sæpe Mars infra Solem videtur, Venus supra Solem, qvod sine penetratione orbium fieri non posset, si iis stellæ essent affixa. Dices: Diversitatem motus observantur. R. Motus secundus est imaginarius, & sit non

per

per contrariantiam, sed per ~~naturam~~
animam.

Obj. Qvæcunque eandem in motu
retinent distantiam, moventur per ali-
ud. Exemplo sint, qvæ moventur cur-
ru. Stellæ fixæ eandem distantiam in-
ter se retinent, quod impossibile vide-
tur, si orbibus non sunt affixæ. R. Di-
sting. inter motum *naturalem* & *ani-
malem*. In motu animali difficulter re-
tinetur eadem distantia inter corpora
qvæ liberè moventur: in motu natu-
rali facilè. E. gr. Lapi des duo ejusdem
quantitatis, figuræ & ponderis ab altissi-
mo loco dimissi, eandem retinent di-
stantiam, etiam in infinitum moti.

XIV. Q. An Cometæ sint Meteora,
an verò stellæ?

R. Sunt nova species immediate à
Deo creata, qvia conspiciuntur etiam
in altissimo cœlo. Fiunt ergo aut ex
cœlo, aut ex materiâ elementari, non
ex cœlo, qvia cœlum est incorruptibile:

Non

42

Non ex materiâ elementari, qvia illa instantâ copiâ ad summum firmamentum non ascendit. Relinqvitur ergo, qvod ex nihilo creentur.

Obj. Deus qvievit ab opere Creatiōnis. R. ab opere, qvod patrārat.

XV. Q. An stellæ etiam vim habeant in voluntates humanas? R. concedendo de influxu indirecto & inclinante negando de influxu directo & necessitante, ratio sumitur à libertate voluntatis.

CAP. III. De Elementis.

I. Elementa sunt corpora natūralia, simplicissima, sublunaria, mistiōni inservientia.

II. Nullum Elementum in mundo existit pūrum, nec propterea mistum dici potest, qvia ad mistionem non sufficit Corporum Conjunctio, sed requiriatur novi Corporis constitutio.

III. Q. An Elementa inter se transmutantur?

Neg.

Neg. qvia aut semper transmutantur, aut certis tantum temporibus. Si semper, qværo, cur ignis totum aerem nondum consumpsit? Si non semper, detur ratio, cur hodie ignis agat in aërem, non cras; Cum agens naturale, nisi impediatur, semper agat & necessario.

Objicitur Expcrientia. R. Illa nihil aliud docet, qvam aquam resolvi in vapores, vapores rursus abire in aquam.

IV. Aer est Elementum subtile, leve, Cæli terræque Vinculum & internum nuncius perpetuus. Dividitur in tres regiones: Supremam, Medium & inferiorem.

V. Aër in se non magis calidus est, qvam frigidus. Nec humidus est, multò minus humidissimus: Contrarias etiam exercet operationes, non tam humectat siccā, qvam exsiccat humidā.

Dices! à negatione actus secundi ad negationem actus primi non valet consequen-

seqventia. Humectationis actus impeditur à tenuitate. Exsiccatio autem oritur à calore aëris. R. ut propter particulas ealidas non aeris, sed ignis aer exsiccat: ita propter humiditas non aeris, sed aquæ tempore noctis humectat, non obstante tenuitate.

VI. Aër est Instrumentum respirationis non propter se, sed propter aquam in aere contentam: Purus enim aer non refrigerat. Simili modo qualitates distinctas aër recipit non à propriâ naturâ, sed ab effluvijs & atomis in aere contentis.

VII. Q. An Aer differat à calo & aqua?

Ut ab aqua aeris differentia certa est, aqua enim frigidissima est, aër nec frigidus, nec calidus: Ita ejusdem à Cælo differentia valde est dubia, ut situ saltem & raritate differre videantur. Juxta scripturam unum tantum est expansionem dividens aquas ab aquis: idemque receptaculum est stellarum. Gen. i. 6. 7.

Dices:

Dices: Expansum unum est in officio, non in Essentiâ.

R. Probandum prius, dari distinctiōnem in ipsâ Essentiâ.

Dices: Si Cœlum esset aereum, sonum excitaret ingentem concitatissimus syderum motus.

R. Distingue ab *impuro & crasso aere, purissimum & tenuissimum*. Deinde, si sonus excitaretur, non audiretur à nobis ob nimiam distantiam. Si enim stellarum corpora, qvæ tanta sunt, vix videntur, cum species visibilis fortius agat, qvam audibilis; Sonus, stellarum motu etiamsi excitatur, tamen non audietur.

VIII. Aqva est Elementum humidum constituens fontes, fluvios & mare.

IX. Q. Utrum aqua sit primum frigidum?

R. Primum frigidum si non est ipsa aqua, est aliquid cum aquâ conjunctissimum;

46

fimūm; qvia frigus qvando migrat ex
parietibus & pomis exit cum aquā.

X. Aqva fit salsa non per combusti-
onem terrenæ substantiæ, sed per salis
substantiam ab initio creatam. Ita mi-
nerales fiunt aquæ, per mistionem ato-
morum mineralium; & calidæ fiunt
non per nudum calorem sine substan-
tiâ, sed per atomos igneas, cuius indici-
um est ferrum ignitum, & commotio
aquæ effervescens, qvæ non est à nudo
accidente, sed à substantiâ: Hinc aqua
calefacta rursus frigescit, expulsis per
formam aquæ atomis igneis.

XI. Q. Unde aquarum oriuntur bul-
lae? R. Ex aere in aquarum pingvio-
rum superficie collecto, cuius experi-
mentum est aqua smegmatica, qvæ re-
cepto per arundinem aere, sphærulas
redit volitantes. Pinguedo autem ob
cohæsionem requiritur.

XII. Q. Qva sit Caussa aestu marini?
R. Præter lunam, tanquam Caussam ex-
ternam, aliam dari Caussam internam,
vel

vel inde apparet, qvod æstus non reperiatur ubique. Caussam autem internam putamus esse fervorem aliquem spirituum, qui intumescentes mare ad litus pellunt; isto fervore sedato, mare sese rursus unit.

Dices: unde ista vicissitudo æstus?
R. Caussam suppeditare potest febrium intermittentium consideratio.

XIII. Terra est Elementū crassissimū & gravissimū, & id, propter rationē fulcri, qvia n. crassa est, nō cedit corporibus; qvia gravis est, nunquam moveretur. Finge enim, tertam à medio moveri, contra naturam id, qvod est grave, cœlum versus ascendet.

XIV. Q. An montes, tanquam ornamenta terræ etiam fuerint ante diluvium?
Aff. qvia dantur herbæ montanæ, qvæ nullibi extra montes inveniuntur.

XV. Q. An terra moveatur astru immotu? Neg. Ratio desumitur à sensu um indicio in motu lapidis.

Dices: In Lapi de est duplex motus,
natu-

naturalis motus deorsum & circularis.
 R. Qvod nec sensu, nec ratione est evidens, id est fictum. Adde, qvod motus violentus impedit naturalem, si contrarius est, sicuti promovet si est similis i. e. ad eumdem terminum. Exemplum est in lapide projecto vel sursum, vel deorsum. Emittantur jam globi ejusdem pondcris, eadem vi pulveris bombardici, unus versus Ortum, alter versus Occasum, idem conscient spatium, qvod fieri non posset, si esset in globo motus circularis ~~a u:raliter~~.

Nam in globo versus Occidentem projecto vel duplex esset motus contrarius simul, vel violentia impediret naturam. Prius ne concipi quidem potest. Si Posterius: Concipe terram contrario motu ferri versus Ortum, & considera, qualem terminum attingeret qvies globi emissi.

Dic̄s: Globulus super aream navis protrusus, & homo ibidem ambulans feruntur dupli & contrario motu simul,

simul? R. In globulo uterque motus est violentus, in homine alter est naturalis. Nostrum axioma loquitur de violento motu & naturali.

Dices: Tendat navis versus meridiem, magnes versus septentrionem.
R. I. Et Magnes versus septentrionem rapitur principio aliquo extrinseco. Deinde: Alia ratio est motus in libero ære, alia in duro aliquo fulcro.

Nec obstat velocitas siderum ineffabilis, perpende enim velocitatem globuli è bombardis missi, & ex motu violento collige, quid possit motus naturalis.

XVI. Ignis est Elementum subtile, & leve, caloris & siccitatis principium. Offertur sensibus sub duplice specie, flammæ & carbonis.

XVII. Ignem elementum esse probatur ex igne culinari, is enim aut simplex corpus est, aut mixtum, si simplex, res est evicta: Si mixtum, ergo

C

con.

continet principium aliquod caloris, id autem non est aer, multò minus aqua vel terra. E. aliquid quartum à reliquis tribus elementis distinctum.

Obj. 1. Nullum Elementum interit.
R. Ut accensio non est ignis generatio, sed eductio; ita Extinctio flammæ non est ignis corruptio, sed dispersio. Hinc quem ignem flatu disgregamus, flatu restituimus, dum fuligine arcemus.

Obj. 2. Ignis urit, E. non est Elementum, combureret euim mixta. R. Combustionem ignis habet à partium frequentia & coagmentatione, cum liber est, non sub dominium formæ mixtæ redactus.

XIIX. Q. An detur ignis elementaris sub concavo Lunæ? Dico 1. Locus naturalis juxta naturam propriam ignis debitus est supra aerem. Qvodcunque enim est levius aere, id non impeditum obtinet locum aere superiorem. 2. An actu igneus aliquis orbis sit sub concavo lunæ est dubium, quia ignis superiora pe-

ta petens potest impediri ob boatum universi: impeditur autem & detinetur admissionem aliorum corporum: Simile videmus in situ aquæ, ubi, ut Scaliger ait, οὐκέπειρος εἰναι vicit vim necessitatis Nota. Hæc dicuntur supposita thesi de essentiali diversitate cœli & aeris; sed quid si hæc hypothesis falsa est? R. Tunc remota omni dubitatione, nullum ignis orbem dari, afferendum est.

XIX. *Q* Cur ignis candela illuminet, non calefaciat. R. Ignis calefacit per substantiam in atomos divitiam, illuminat autem per accidens intentionale. Candela sufficiens est ad emittendam speciem intentionalem, sed non est sufficiens ad atomos.

CAP. IV.

Qualitatibus Elementorum!

I. Inter qualitates elementorum primum locum tenent levitas & gravitas

c 2

vitas

vitas, qvæ definiuntur à motu sursum
vel deorsum.

Obj. I. Radii solares descendunt E.
Sunt graves.

2. Aqva ascendit E. est levis. Ascendit
autem vel ad vitandum vacuum vel per
vapores.

R. Ad I. Radii nec descendunt nec
ascendunt, sed emittuntur ad 2. Aqva
cum ascendit ad vitandum vacuum
movetur non à principio naturali in-
trinsico, sed ab extrinsicco. Per vapo-
res ascendit non propter aquam sed
propter ignem; eo modo, quo homo
beneficio vesicæ potest narrare.

II. Gravitas non gravitat in suo loco
I. I. de cælo c. 9. t. 100. non sentit sub-
mersus aquæ pondus, qui eo deprimitur
extra fluentum. Sub terrâ pedem
qui figit, non gravatur prius quam levat
pedem; tum enim propendet terra ad
centrum.

III. Subtilitas & crasficies de-
fini,

fruiuntur à transitu, qvem aliis corporibus aut concedunt, aut negant.

IV. Caliditas & frigiditas, humiditas & siccitas definiendæ sunt per proprias operationes.

V. Q. An calorū sit congregare homogenea & segregare heterogenea, & contra anfrigorū sit congregare & heterogenea & homogenea? R. Neg. quia mare qvod frigidum est expellit heterogenea, omnes scilicet sordes. Item, in aqua frigida oleum natat, & feces terrenæ merguntur. Calor autem ignis etiam homogenea disgregat, aquam calefactam resolvendo in atomos.

Objicitur Experientia in vino, cera & glacie. R. Calor qvoties segregat homogenea & frigus qvoties ea congregat, alteris beneficio id efficiunt. Natura vini expellit sordes, non calor: non frigus, sed densitas congregat heterogenea in glacie & cera.

VI. Q. An humiditas proprio termi-

34

no difficulter terminetur, alieno facile
ficitas vero contra? R. Neg. qvia &
ignis suis terminis ægerrime contine-
tur. Dices Ignis vase non excipitur ut
aqva. R. Fluit tamen & alienos recipit
terminos non minus quam aqva. Ser-
vant ergo corpora terminos suos facile
vel difficulter, non ob humiditatem &
succitatem, sed ob subtilitatem & duri-
tatem. Dices. Cœlum est subtile, ta-
men retinet suos terminos facile R.
Neg. qvia cedit currentibus astris.

VII. Q. An detur qualitatū intensio
& Elementorum alteratio? Dico I.
Sine substatiæ communicatione nulla
fit qualitatum inductio. Nam propria
non separantur à suis subjectis. Dices.
Ab igne in aqvam migrat calor nō rea-
lis, sed intentionalis; ita in aliis. R. id
non esse, ostendunt seqventes rationes.
I. A resistantiæ caloris dum aqva cum
conatur expellere. Agit enim ibi
calor non sine subjecto, sed per aliquam
formam,

formam. Non autem per formam aquæ, hæc enim contrariatur; E. per formam proprii subjecti. 2. Per experientiam in humidis. Vestimentum n. non humectatur sine substantia humida, nec exsiccatur nisi expulsâ eadem substantiâ. 3. à motu bullarum in fervente aquâ. Aqva moveatur E. ab a. liqvo; non à natura aquæ, hæc enim non tendit sursum. E. à principio adventitio, quod fertur sursum, atque id non nudum est accidens; quia hoc ubi solum est, nec moveat nec moveatur. Relinquuntur ergo atomi ignea, quæ ob copiam ex aqua erumpunt.

Distingendum igitur in alteratio-
ne, Subjectum inhesionis, à subjecto de-
minitionis, inhesionis subjectum pro-
prium & proximum caloris semper
sunt atomi ignis; humoris, atomi
aquæ. Denominationis subjectum est
res quæ dicitur alterata, ut aqua vel
manus calida; lana humida.

Dico II. Gradus qualitatum augen-
tur, non unius ejusdemque partis inten-
sione, sed multarum partium accessione.

VIII. Qualitas contrariam qualita-
tē ambiens eandē auget, id quod dicitur
Antiperistasis. Fit a non sine sub-
jecto, per specierum intentionalium re-
ceptionem, sed per fugam contrario-
rum & pugnam dissimilium.

Dices Fontium & Cellarum calor
intenditur hyeme, non quo ad veritatē,
sed quo ad sensum. R. Neg. quia in
cellis subterraneis calefieri ea experi-
mur, quae extra illas congelantur.

C A P. V.

De communi coeli ignisq; qua- litate Luce.

I. Lux est qualitas corporis luci-
di, quā ipsum lucidum est & alia illum-
nat. Ejus imago lumen est, quod adhuc
differt à specie visibili lucis, quia specie
visibilis lucis habetur, etiam quo lu-
men

men non pervenit, ut patet in igne è longinqvo per tenebras viso. In lumine suntradij, ratione tantum à lumine distincti.

II Lumen est qualites non *realis* sed *intentionalis*, qvia vitra permeat, & migrat de subjecto in subjectum.

Obj. Nullum accidens reflectitur, qvia accidens non movetur per se, sed ad motum alterius. R⁺ Distingu. inter reflexionem realem, & eā, qvæ est per similitudinem: qvia non ipsum lumen resultat à corpore illuminato sed ejus aliquod idolum. Hinc semper est debilius. Experientiam dabunt speculatrix vel quatuor, qvorum unum ab altero radios solares excipit & tandem ad parietem transmittit. Ibi splendorem, beneficio unius speculi semel reflexum, observabis in pariete illustrarem, qvam eum, qvi beneficio plurium speculorum ter vel quater reflectitur.

III. Q. An lux nihil aliud sit quam color?
 Neg. Sol non est coloratus, qvia abest principium coloris: est tamen lucidus, contra in tenebris calorem habemus, non lucem.

Obj. 1. Lux terminat visum. R. Non solus color est objectum visus, sed etiam lux.

Obj. 2. Lux est alba E. colotata. R. Distinguitur album reale & album persimilitudinem.

IV. Q. An lumen sit actus perspicacij quatenus est perspicuum? i. e. quatenus per illud aliquid perspicitur? Neg. qvia lucem videamus per tenebras & objectum quodvis illuminatum.

V. Q. An lumen moveatur in instanti? Aff. & probatur ex discessu lucis. Candala enim extincta, illico perit lumen. Movetur autem in instanti, non ideo quod lumen immateriale est, qvia & sonus est immaterialis, sonus a, non movetur in instanti: sed propter vim propriam, qvā habet cum speciebus visibili-

libilibus communem : Nam & Species
visibiles in momento movent oculum.

Objicitur Crepusculum. R. Crepus-
colum non est ex tarditate aut successi-
vo motu radiorum, sed ex variâ refle-
xione in aere & nubibus illuminatis.

VI. Lumini privativè opponuntur
tenebrae & umbra, qvæ differunt per ma-
gis & minus.

Obj. Tenebræ videntur E non sunt
negatio aut privatio. R. Videntur non
per speciem realem, sed per speciei priva-
tionem, sicut auditur silentium.

CAP. VI.

De Principiis Chymicis.

I. Principia chymica num-
rantur tria; Sal est primum sapidum.
Sulphur est primum odorabile & in-
flammabile. Mercurius est liqvor
quidam spirituosus, à sulphure subtili
ac sale volatili vix separabilis, & putatur
esse principium colorum.

II. Prin-

II. Principia Chymica arte non fiunt,
sed ex mixtis elicuntur, in principio cū
& in speciebus corporum condita. Sale
enim ex cineribus extracto, feces resi-
duæ nemicam salis dabunt.

III. Principia chymica ex intentio-
ne naturæ non sunt species mundum
integrantes, sed mixtioni inservientes,
certas proprietates rebus communi-
cando.

IV. Q. Andentur hæc principia chy-
mica? Aff. Spec. Inst. 868

Argumentum 1. ab operationibus;
Operationes communes, calor, odor.
sapor, ad commune quoddam reducen-
dæ sunt principium.

Dices. Sicuti anima non qvanta effi-
cit qvantitatem & figuram, ita elemen-
ta non sapida efficiunt saporem & reli-
qvas affectiones chymicas.

Resp. Qvantitas & figura sunt tan-
tum modi materiæ, sapor autem &
qualitates chymicæ sunt entia absoluta.
Frustra sapor elicetur per calorē è siceo
terrestri

61

terrestri in humido aquo; aromata n.
sunt siccissima. Saliva linguæ saporē nō
efformat sed manifestat. Frustra odor
elicitur è siccitate, neq; n. urina sicca est.
Frustra color elicetur ex commixtione
perspicui cū opaco, nam ex aëris & ter-
ræ mixtione nulli constituuntur colores.
Frustra flammabilitas elicetur ex siccitate
& raritate; quid enim siccus & rarius
residuo papyri combustæ?

Argumentum 2. A resolutione cor-
porum naturalium: in quæ quid resolvi-
tur ex iis constat.

Dices: Caro non constat ex vermicibus,
in quos resolvitur. R. Disting. inter
resolutionem ultimam & intermedium;
corruptivam & generativam.

CAP. VII.

De Corporibus mixtis in genere..

I. Mixtionis materia sunt atomi,
quas omnis natura præbet infinitas.
Dantur enim atomi non tantum ele-
mentorum, sed etiam mixtorum.

II. Mixtionis forma est anio non artificiali sed naturali; quæ si est ad unam formam specificam, constituit perfectè mixta; si non, oriuntur imperfæctè mixta.

III. Quid an mixta immediate ex elementis constiuantur? Neg. Corpus enim humanum non immediate est ex elementis, sed ex semine, semen à sanguine, sanguis è chylo, chylus è cibo, cibus è plantis, plantæ conveniens alimentum ex terra attrahunt, succum scilicet ex elementis compositum.

IV. Quid an formæ elementorum in mixtu manent? Affirmatio probatur ex resolutione mixtorum.

Dices. Formæ manent sed refractæ.
R. Substantiae nec intenduntur nec remittuntur.

Exceptio distinguendum est inter remissionem quæ fit cum variatione speciei & quæ fit sine variatione speciei. R. omnis remissio est sine variatione speciei, remissio quæ est cum variatione speciei non

non est remissio, sed interitus, e.g. calor omnis cum abit interit; aliquem gradum cum amittit, remittitur. Ideoq; species elementorum aut variantur, aut non; si non manent integræ, non remissa, si variantur, nequidem remissa manent.

Dices: Si formæ manent, qvælibet particula misti non est mista. R. *Concedendo, qvia pars non debet esse totum, nec principium principiatum.* Hinc constat, mitionem definiendam esse per miscibilium, non alteratorum, sed in atomos divisorum unionem.

V. *Imperfectè mixta corpora* sunt exhalationes, in qvib⁹ si abundat siccum, fumus est; si humidum, vapor est.

VI. Exhalationum causæ potissimum sunt sidera, qvorum minister ignis est.

VII. *Perfecte mixta corpora* dividuntur per formam. Sunt enim vel viventia vel non viventia; illa vel sensitiva, vel non sensitiva; sensitiva vel rationalia vel irrationalia.

VIII. Perfectè mixta constituantur per generationem, quæ est substantialis formæ productio: desinunt per corrupti-
onem, quæ formæ substantialis destructio.

IX. Generatio vel est inchoata vel consummata, cum totum compositum cum omnibus partibus est absolutum.

X. Consummatæ generationis instrumentum est coctio & maturatio, in qua beneficio calidi, humidum coquuntur & perficitur.

XI. Omnis generatio est univoca. *Equivoca* non datur, nisi in subordina-
tione caussarum universalium.

XII. E miscibiliū qualitatib⁹ in misto, oritur qualitas aliqua harmoni-
ca, quam vocant temperamentum, quod est duplex: *ad pondum*, in quo æqvaliter qualitates concurrunt. & *ad iustitiam*. Non quod temperamentum ad pondus in natura detur, sed ut sit certa aliqua norma tempermentorū.

XIII. Oritur temperamentum non ex qualitatum remissione, facta per acti-
onem

onem & reactionem: sed ex atomorum congregatione.

XIV. In eodem vivente non est unum temperamentum; Aliud enim est corporis quatenus est mistum, quod etiam manet aliquamdiu in cadavere, aliud vero est ejusdem quatenus est vivens. Et quatenus vivit, rursus aliud temperamentum oritur ex influxu cordis & coeteris partibus principalibus; aliud nativum est & partibus adhuc viventibus per innatum calidum insitum.

CAP. VIII. De Meteoris.

I. Meteora non tam sunt corpora, quā corporum imperfectè mixtorum accidentia: Una enim eademque materia varie disponitur, per formas non substantiales sed accidentales.

II. Fiant meteora per atomorum congregationem & segregationem.

III. Meteora dividuntur in *bypostas*
tica

rica & Emphatica. Hypostatica ratione
materiæ rurs9 in ignita aquæ spirituosa.
Ignitorum præcipuæ species sunt, ignis
saturni, ignis lambens, Draco volans,
capræ saltantes, stella cadens, fax, &
fulmen. Aqveorum species: Nebula,
ros, pruina; nubes, pluvia, grando,
nix & glacies. Spirituosa sunt ventus
& motus terræ. Emphatica sunt;
colores nubium, chasma, virgæ, pare-
lii, paraselene, halo, iris.

IV. *Meteora ignia* flammam conci-
piunt 1. per motum, eadem ratione, qvæ
candela extincta motu accenditur;
Motu enim fuligines arcentar & ignis,
congregatur. 2. per humidum aqe-
um, eadem ratione, qvæ calx viva hu-
midi aspersione accenditur.

V. *Fulmina* non generantur ignib⁹
nubes frangentibus, qvia tonitrua fi-
unt etiam cœlo sereno. Causa verò est
in Sulphure & nitro, sulphur cito flam-
mam concipit, nitrum hostem suum
ignem fugit. Simile quid videre licet
in oleo accenso, aqua si affunditur.

VI. Ventorum origo exprimitur globo æneo, qvi præter foramen angustum, undiqvaqve benè custoditus, aliquas aquæ particulas continet, & igni apponitur. Aqveæ enim particulæ, caloris vi solute, se invicem cum flatu ex globi foramine pellunt. Qvod latera faciunt in globo, id montes alti, & vapores alii prioribus oppositi præstant in aere. Vaporum in pluvias resolutione ventum non parùm promovet. Cum enim multæ particulæ vaporis requiruntur ad unam particulam aquæ; aeris locus à vaporibus relictus ut repletatur, vicinus aer & vapor cum impetu attrahitur. Hinc ut plurimum pluviam vehementem, vehemens ventus vel præcedit vel comitatur.

VII. Q. Cur orientalî ventus ficcus sit, occidentalî humidus. R. Sol secum circumfert vapores. Ideo orientalis ventus, suo flatu promovet cursum vaporum; occidentalis, qvia motu contrario fertur, vapores impedit & cogit.

Con-

Condensati autem vapores resolvuntur in pluvias. Siccitatem autem & humiditatem auget vel minuit materia vaporum.

VIII. *Hū* fuit etiam ante Diluvium, sed non fuit signum gratiae. Generatur per radios solares, in guttulis infinitis fractos & refractos.

C A P. I X.

De Mineralibus.

I. Mineralium nomine intelligimus omnia corpora perfectè mixta non viventia, ut sunt lapides, metalla, succi & terræ pretiosæ.

Dices Nutriuntur & augmentantur E. vivunt.

R. Nutritio & augmentatio mineralium non sit per intrinsecam elaberationem, & ad singulas partes diffusionem: sed per novam extrinsecus factam generationem & appositionem.

II. In mineralium generatione materia halitus est; calor & frigus, instrumenta;

menta; caloris beneficio fit attenuatio, resolutio & coactio; frigoris ope fit condensatio. Principium constitutio-
nis est ipsa forma, quae est sui diffusiva
& multiplicativa.

*Dices In mineralibus nihil est nisi du-
rum, nec adsunt certa elaborationis
organæ, ergo nec semen.*

R. Principium seminale & spiritus
architectonicus sæpe in certo & peculi-
ari subjecto non habetur. ut in salice
patet, & vermiculis ex caseo natis. Cer-
ta rationum organa in animale perfecto
reqviruntur. Nec putandum est, spi-
ritum architectonicum in mineralibus
esse aliquid durum; Exemplo sint lacus,
in quibus injecta lapidescunt.

III. Magnetū duæ stupendæ virtutes
sunt, attractio ferri & conversio ad Po-
lum. Hoc posterius fit per occultum
aliqvem consensum cum stella polari:
prius per occultum consensum spiri-
tuum. Quæritur autem. - An magnes
trahat ferrum an trahatur à ferro? R.
Dici

Dici utrumque potest. Nam desiderium unionis tam in spiritu ferri est, quam in magnetis. maximè tamen fit tractio per magnetem, quod in eo spiritus vehementior.

IV. Q. An adamas bircino sanguine frangatur? R. Frangitur sed non semper, caussa autem est in herbis non nullis saxifragis.

V. Q. An Chymici verum auram producant illudq; reddant potabile? Aff. qvia experientiae refragari pertinacia est. Est in auro nostro crasso, spiritus aliquis subtilissimus, qui ubi seorsim poterit haberi, non minus aurum efficiet, quam spiritus lapidificus lapidem.

Dices: Ergo carnem etiam efficiet auream, ubi assumptus fuerit Spiritus iste auri. R. Transformat non omnem materiam, sed aptam; metallum puta.

VI. Q. Cur ferrum ignitum facilius contundatur, quam frigidum. R. propter ignem intra ferri poros receptum,

71

ptum, ferri partes magis faciliusque
comprimuntur.

VII. Q. Cur calx viva accendatur
aspersa aqua?

R. Igniculi latitantes uniunt se contra
hostem, eumq; fugiunt: abeuntibus
igniculis nulla amplius fit incensio.

C A P. X.

De Animatis.

I. **A**nimiati nomine intelligimus
mictum vivens, constans anima vege-
tativa & corpore organico.

II. **C**orpus requiritur organicum,
non simpliciter ob præsentiam animæ,
quæ etiam in semine conservatur; sed
ad operationes, quatenus in animato
jā absolute, diversa excentur munia.

III. Per animam intelligimus for-
mam, ex qua proveniunt operationes
vitales, quales sunt nutritio, sensa-
tio, intellectio. Animam itaque dari
non dubium est ei, qui formas dari
concedit,

IV. In-

IV. Indicia animæ sunt 1. *organizatio*, nam omne totum organicum animam habet, aut habuit. 2. *nutrimenti introreceptionis*, inanimata augentur quidem, sed per *juxta positionem*. 3. *definitus crescendi terminus & motus*, animata n. ad omnes situs differentias augescunt, & habent certum crescendi terminum.

Qvibus positis constat, animata non esse magnetem & capillos. Nec obstat 1. magnetem moveri, non unico motu. 2. In proclivi est hominem constitutere unum qvid peravidens, si aliquid habet qvod non informatur anima. Nam R. ad 1. Eodē argumento probari, non tantum magnetem esse animatum, sed & sensitivum. Deinde magnes moveretur versus septentrionem principio aliquo extrinseco.

Ad 2. homo qvatenus excorpore & anima coalescit, essentiam per se unam constituit: hominem capillatum, calceatum Ens per accidens dici, non est absurdum,

V. V. 5

V. *Vegetabilibus animam ut adimam*
nondum inducimur opinione eorum, qvi dicunt, ea, qvæ in vegetabiliū generatione apparent, fieri posse
solo calore sine anima. Qvi formam
specificam & simplicem in vegetabilibus nobiscum agnoscunt, antiquitatem de ponte non dejiciunt. Ad sunt
operationes vitales; ad sunt organa ad-
est certus crescendi terminus & deniq;
mors ipsa testatur de anima.

VI. *Sanguin animatus utrum dici debat an inanimatus adhuc sub iudice lis est:* Pro negativo pugnant 1. *Sanguis non est corpus organicum constans partibus dissimilariib.* 2. *Sanguis qn. sit caro, aut fuit animatus prius, aut non, si animatus, nutritio non erit substantialis mutatio, sed tantum alteratio: si non fuit animatus res salva est.* 3. *Sanguis augetur usq; & usqve, sine monstritate.* R. *Ad 1. constare partib. dissimilarib. indicium est totius animati, non partium.* *Ad 2. animatum ad-*

d

ditum

ditū animato non impedit generatio-
nem qvoad formam partialem. Ad. 3.
Sangvis habet certum crescendi termi-
num in venis, qvamvis non extra. Ar-
gumentum pro *affirmativa* sumitur ex
loco Levit. 17. 14. Ubi anima carnis
dicitur esse in sanguine. Verū intelli-
gitur ibi *actus animæ* non primus sed
secundus.

VII. Principia essentialia animæ pro-
ponuntur in ejus definitione, qvæ
juxta Arist. hæc est: *anima est actus cor-
poris organici vitam habentis potentia.*

VIII. Efficiens causa animæ non est
solus calor, sed ipsa anima, qvæ per
benedictionem divinam habet se mul-
tiplicandi virtutem.

IX. Finis & effectus animæ primus &
immediatus est, vitæ communicatio.
Vita est actus Entis viventis, qvatenus
vivit. Anima se ipsam corpori com-
municans, suammet vitam communi-
cat non effectiye, sed formaliter. Vita
ergo

Ergo non est unio animæcam corpore;
quia etiam anima separata vivit: sed
unionem seqvitur. Sic mors non est
dissolutio animæ à corpore, sed disso-
lutionem seqvitur.

X. Unio animæ cum corpore non
est *parastatica*, sed *perichoristica*. Igitur
anima intimâ penetratione omnes
corporis partes permeans, una cum vi-
tâ suas qvoq; facultates communicat,
qvarum scilicet usum vita animalis ex-
igit. Spiritualitatem enim non com-
municat.

XI. Vinculum vitale qvo anima jun-
gitur corpori est *spiritus aliquis innatus*,
qvem vocant *calidum nativum*, estqve
substantia corporea, qvamvis subtilis,
constans humido uliginoso, qviconsu-
mitur, & calido aliquo qvod est, instar
flammæ consumentis. Hinc mors na-
turaliter oritur vel ex ariditate, vel ex
extinctione. Restauratur semper per
calidum influens. Distinguitur à calore

d 2

ele-

elemētari per operationes, habet enim
vīm confortandi & Epilepsīæ medendi.

Dices Operationes quæ attribuuntur
calido innato, proficiscuntur à calore
elementari, qui vi agentis principalis
multa efficit, quæ non potest vi propriā.

R. Operationes istas spiritus nativus
exercet, etiam cum anima abest.

Obj. Calidum innatum frigore cor-
rumpitur, calore elementari augetur.
Pabulum etiam elementare est.

R. Negatur utrumque, quia 1. con-
servatur, etiā in frigore intensissimo; ut
in ruta, elleboro, aliisq; quam plurimis
videre licet: frigore autem cum cor-
rumpitur, id sit per accidens, quatenus
in quibusdam viventibus, maximè in a-
nimalibus perfectioribus, indivisibiliter
conunctum habet calorem elementa-
rem. 2. pabulum totum elementare
non est; & si esset, non tamen seqvere-
tur, id quod eo conservatur elementa-
re esse: quia caro servatur per panem,
qui ipse caro non est.

XII. Caus.

XII. *Causa longævitatis vel brevitatū vita*, tum in speciebus tum in specie-
rum individuis, partim est à termino
unicuique corpori à prima causa præ-
scripta: partim à conditione nativi ca-
loris & humidi radicalis, qvæ lœdun-
tur ut plurimum à causa extrinseca.

XIII. *Hominem in statu innocentia immortalem fuisse*, notum est ex scri-
ptura. Nec obstat alimenti necessitas.
Nam alimentum hominis fuit præser-
vativum ab omni corruptione. Ejus
enim officium erat non tantum corro-
borare calorem naturalem & reparare
humidum radicale; sed corroborare &
reparare pari sinceritate.

Dices: homo fuit liber. E. saltim
ratione libertatis potuit abstinere ab
esu. R. ista abstinentia inobedien-
tia fuisset contra ordinationem divi-
nam. Fuit autem homo immortalis non
simpliciter, sed cum conditione, si ordi-
nem divinum observaret.

XIV. Species animarum, quas gradus dicere potes, quatenus superior includit inferiorem, dantur tres: primus gradus est vegetativus, alter sensitivus, tertius rationalis. Objiciuntur Zoophita quae sunt duplia: quædam habent potentiam sensitivam non locomotivam; quædam habent locomotivam non sensitivam. R. priora revera sunt animalia imperfecta, non autem moventur 1. propter defectum organorum. 2. propter alimentum quod sibi habent conjunctum. Posteriora revera sunt plantæ, moventur autem non de loco in locum, sed per dilatationem & constrictiōnem; vel motus causam habent extrinsecam.

XV. Q. An in homine sint animæ realiter diversæ? R. est una in homine anima, in se continens tres facultates formaliter. Probatur 1. ratione, quia in quo sunt plures & specie distinctæ animæ specificæ, id à seipso specie differt: in-

in homine per te sunt plures specie distinctæ animæ specificæ: Er. 2 experientia: anima meditationi intenta difficulter cibos concoquit, quod non fieret, si alia esset anima vegetativa, alia rationalis, quælibet enim præstaret sine impedimento, quod suum est.

Objec^{tio} Zabarella: Quodcunque animal diversos habet appetitus diversas quoque habet animas. Homo diversos & contrarios habet appetitus rationalem & sensitivum. R. 1. ad maiorem: distinctione operationum non agit distinctam animæ essentiam, sed distinctas potentias. 2. ad minorem. rationalis & sensitivus appetitus sibi contrariantur non eodem tempore, nec eodem gradu repugnantiae.

XVI. Anima rationali sicut spiritus est immateriali, ita etiam indivisibili est, tota in toto & tota in qualibet parte; non partitum, ut pars ultra partem, sed punctum, ut Angelus, qui essentiam suam integrum conservat in minutissimo

puncto, ubicunque est. Objicitur nuritio & augmentatio. R. Anima se ingerit, cum nova caro accrescit.

XVII. Anima *sensitiva* & *vegetativa*, qvia materialis, est etiam divisibilis, quod constat experientia. 1. virga ab arbore amputata & plantata. 2. Serpentis divisus, qui movetur utrumque. Inde colligitur porro divisibilitas animæ in animalib. etiam perfectis; qvia in serpente anima dividitur vel ideo qvia est animal imperfectum, vel qvia anima materialis est; non prius; qvia perfectio & imperfectio in animalibus dicitur tantum ratione membrorum & sensuum. Er. posterius.

Dices: si anima serpentis dividitur E. post separationem serpens potest vivere. R. Nég. 1. propter organorum necessitatem, qvæ non possunt esse in quavis parte animalis. 2. propter principium vitæ, quod in animalib. cor est, non diffusum per omnia membra; in plantis autem qvia id medulla est.

est; diffusa per totam plantam, ideo surculus post separationem potest vivere.

XVIII. Concesso animam rationalem esse indivisibilem, queritur adhuc de existentia: Utrum in corde sit per essentiam, in reliquo parsibus tantum per virtutem? Res anima rationalis essentialiter est in toto, in corder radicaliter, in reliquis partibus derivative. Primum probatur ex ratione formae informantiss: secundum & tertium patet experientia:

Dices: si anima per essentiam est in omnibus partibus, in nutritione se extendet, & consequenter fit divisibilis. Res crescit anima rationalis in nutritione mutatione non productiva sed adductiva, i.e. non novam particulam animae producit, sed lead certam partem promovet, eo modo quo angelus manus spatium acquirit.

XIX. Sicuti specificam animarum diversitatem ex operationum diversitate.

d 5

te col.

te colligimus, ita in individuis ejusdem speciei inæqualitatem individualem colligimus, itidem ex operationum diversitate.

Dices: distincta operationum perfectio in individuis reducitur ad distinctam dispositionem organorum & temperamentorum, quæ ipsa oritur à distinctione progenitorum, loci & cœlestis influentiæ. R. Deus ut principium individuationis extrinsecum tali corpori aptat talem animam. Et anima, materiæ immersa ut principium individuationis intrinsecum, fabricat & conformat sibi corpus, non contra.

XX. Q. An anima à suū potentiū differat realiter, i. e. utrum potentiae sint aliquid essentiæ animæ superadditum, separabile ab ipsa essentia, qualem quid est sanctitas in essentia angelica? Dico i. anima omni simpliciter potentia carere non potest, omnis enim vita conceditur propter operationem aliquam

quam vitalem: operatio a. præreqvirit potentiam. Dico 2. anima simpliciter concepta, certis potentiis qvibusdam carere potest. Dico 3. anima determinata determinatis gaudet potentiis, à qvibus non differt realiter. Probatur inde, qvia anima forma est determinans esse & operari, mutata autem potentia esentiali, mutatur ipsa essentia.

Obj. 1. hac ratione potentia vegetativa maneret in anima rationali separata & esset omnino inutilis 2. potentia materialis & corporea differt ab anima immateriali & incorporea. R. ad 1 ut venter ita etiam potentia vegetativa erit in altera vita: sufficit autem aliquid utile fuisse, ut patet in potentia auctiva. Ad 2. potentiae multis modis differunt in anima rationali, maxime ratione instrumentorum, inde autem non seqvitur qvod ab ipsa anima differant realiter.

XXI. Q. *An detinunt μετρηθύμωσις?*
R. qvod

R. qyod Pythagoras forsān allegorice vere dixit, id physice est impossibile. Res pugnat enim natura formæ, à qua est rei esse & operari, nec in quavis materia recipitur. Objicitur Nebucadnezar & Auguſtōtia. R. Ad 1. transmutatio Nebucadnezaris. 1. non fuit nuda imaginatio, sed vera mutatio, in qua in locum rationis actualis successit furor & insania. 2. fuit accidentalis non essentialis, accepit cor aliud in qualitatib⁹ non in essentia, alioquin resurrexisset antequam fuisset mortuus. Ad 2. Auguſtōtia est illusio magica, in qua vel sensus pervertitur vel objectum peregrina specie pingitur.

XXII. Q. An omne animatum præstantius sit in animato quovis?

R. Sole est utilius ens; magisqve necessarium; animatum est nobilior; habet enim gradū entitatis præ sole, quo propius accedit ad primum ens, Deum, quam Sol. Dices, Vivens & non vivens

vivens cum conferuntur, vivens ratione generis præstantius est non vivente. Interim ratione differentiæ vel proprij non vivens potest esse præstantius. Sic Animi proprium est nutriti; Solis proprietas, universaliter influere. Hoc magnæ perfectionis est. Illud nutriti nempe, est imperfectionis; quia est à corruptibilitate. Itaque, corpus immutabile universaliter influens, præstantius est corpore nutritio, quatenus nutritur. R. Immutabilitas constituit præstantius ens, non simpliciter, alioquin lapis præstantior esset homine; sed cæteris paribus. Deinde causa impulsiva nutritionis, est imperfectio, népe corruptibilitas; Ipsa autem nutritio; quia est aggeneratio & novæ essentiæ productio, non minor, sed major perfectio est, quam influxus solis, *quoad intensivam virtutem, quamvis Solis actio major sit extensiva.*

G A E

C A P. XI.

De Vegetabilibus.

I. Animata qvæ constant anima vegetativâ tantum dicuntur Vegetabilia & plantæ. Species eorum sunt herbae & arbores.

II. Q An in omnibus plantis sit una specie anima, qvæ dicitur plantarū. Num quid hic aliquod dubium? Imo non parvum. Qvod enim proprietatibus essentialibus & specificis distinguuntur plantæ à plantis, viola à tulipâ; id omne formis partialibus potest tribui; cum & in partibus ejusdem plantæ, distinctissimæ reperiantur proprietates. Probanda itaque specifica plantaris animæ distinctio, & quidem ita:

Forma qvæ specie distinctum corpus fabricat, distincta specie & ipsa est

Anima plantarū est forma qvæ specie distinctum corpus fabricat? E.

Anima plantarū etiam ipsa distincta est specie,

Dic jam; distinctio est à formis partialibus in semine sepultis. R. Formæ partiales, subordinantur animæ specificæ, ejusqvè imperio & directioni se submittunt in formatione corporis. Hinc diversitas figurarum & organorum. Anima enim architectrix fabricat sibi & suæ indoli aptum domicilium, qvamvis mediantibus formis partialibus. Sicut ergò anima muscæ non potest comparare corpus Elephantis, si maximè adfici formæ partiales; qvia tale corpus non potest informare nec inhabitare, nec in eo operari. Ideo enim anima corpus fabricat, ut inhabitet & operetur. Ita una specie anima omnes indiscriminatim plantas nec informare potest, nec comparare.

III Prima animæ vegetativæ facultas est, nutritio, ad qvam reqviritur, ut alimentum intrò receptum præparetur, uniatur, ad similetur. Dices: Ignis etiam nutritur. R. N. sed novus semper ignis elicetur.

IV. Altera potentia est augmentatio, ad quam requiritur, ut per alimentum introreceptum singulis partibus fiat additio, subiecto manente eodem numero.

V. Generatio; non est proprietas animae vegetativae, quia sunt quædam viventia quæ non generant, ut mulius & vermiculi nati in nuce quercus, in caseis & aliis lignis putrefactis; Pediculi generant lentes ex quibus nihil aliud generatur. Dices: à negatione actus secundi ad actus primi negationem non valet consequentia. R. ipsam potentiam generandi quibusdam viventibus natura denegavit quæ nec generant nec generare possunt. 2. generatio etiam competit non viventibus, spiritus enim lapidificus generat lapidem.

VI. Omne vivens nutritur & semper, nutritione vel manifesta vel inconspicua. Objiciuntur arbores in hyeme. R. nutriuntur; quamvis non generent folia

folia: quod probatur, quia extra terram
diutius positæ moriuntur.

VII. *Augmentatio non est quantitatū productio sed acquisitio*, dum anima unit
quantitatē alimenti cum quantitate
viventis. Contra diminutio non cor-
rumpit quantitatē, sed partem à parte
separat.

VIII. *Operatio augmentativa post
άκμην definit*, tum quia animata ha-
bent certum crescendi terminum, tum
quod partes solidiores, dum in adultis
exsiccantur, amplius extendi nequeant.

IX. *Q. quomodo differant potentiae
in anima vegetativa?* R. I. Sicuti ma-
teria non differt à quantitate, sic etiam
non differt realiter auctiva potentia à
nutritiva. *Dices: post ακμήν auctiva
potentia definit, nutritiva manet.* R.
I. à negatione actus secundi ad negati-
onem potentiae non valet conseq.
Deinde auctiva potentia non plane
quiescit post ακμήν, quia ejus aliquod
opus.

opus est pinguefactio, item carnis restitutio post febrim. *Dicimus.* 2. potentia generativa non realiter eadem est cum potentia nutritiva & auctiva, quia nec omne, nec solum vivens generativâ potentiat gaudet. *Obj. 1.* ejusdem facultatis est generare totum & agenerare partem. 2. in arbore cum nutritiva facultas de novo generat ramū, id opus est facultatis generativæ. *R. ad 1.* differuat utiq; generare totū & agenerare partē, hoc est generationis simpliciū, illud est generationis organica, qva corpus producitur organicū, idq; vel in semine vel parte totius. *Ad 2.* producō rami non est generatio partis simplicis, sed corporis organici.

*X. Q. An vivens non obstante nutri-
tione & augmentatione maneat idem nu-
mero?* *R. 1.* aliam atq; aliam accresce-
re materiam, cumq; materiā etiam
crescere formam materialem certum
est. *2.* Vivens tamen manet idem (*a*)
continuatione, qvatenus anima divisio-
bilis,

bilis, qvæ per divisionem fit duplex,
per continuationē in toto manet una.
(b) *equivalentiā*, instar pallii mendici.
(c) *essentiā*, manent enim partes ma-
teriæ solidiores & spermaticæ: cuius in-
dicium sunt cicatrices; manet quoqve
forma.

XI. Q. *Car. plantæ mole superentis
animalia, cum stirpibus non in sit tantum
caloris, quantum animalibus propter san-
guinū copiam.* Dicunt animalibus poti-
oxem partem caloris & spirituum ab-
sumi in motus & sensuum functioni-
bus; stirpes soli vegetationi incumben-
te, minori caloris dispendio; atque ob
id in tantam molem adolescendo as-
surgere. Verum etiam in plantarum
genere exigua corporis quantitas repe-
ritur. Rectius ergo moles refertur
ad formam specificam, sicuti, & in
singulis specierum individuis quantitas
diversa est, non tantum ob conditio-
nem loci, sed etiam ob principii indivi-
duationis diversitatem.

XII. Q.

XII. Q. An calor, qvi in plantis & plantarum fructibus (ut vino & pipere) non sentitur, sit in illis tantum virtualiter, an formaliter. R. Calor in illis est actualis, id est, actu præsens, quod patet in spiritu vini adusto. Sensum autem caloris impediunt partes frigidæ.

XIII. Q. An plantæ differant sexus?
Neg. 1. qvia membris destituuntur, qvibus sexus distinguitur. 2. Quæcumque non sunt causæ in generatione sociæ, non differunt sexu. Si qvid verò ex sexus discrimine petitur in plantis, id totum sympathiæ tribuendum est.

CAP. XII.

Animalibus.

I. Animalium nomine venit omnne corpus animatum sentiens. Forma est anima sensitiva, cujus tres facultates; Sensitiva, Appetitiva & Locomotiva.

II. signum adæquatum animæ vegetativæ est dolor, qvi ex tactu oritur sensu omnium communissimo & summè necesse.

necessario. In ad aquatum signum, est motus, qvia omne qvod movetur de loco in locum animal est, non contra. Objiciuntur 1. Zoophita qvæ constringuntur & dilatantur. 2. carnes mastatorum animalium qvæ diutissimè adhuc tremunt. R. ad 1. constringuntur & dilatantur, eo modo, quo aqua fugit ignem. Ad 2. tremor est à spiritibus residuis.

III. Ut nutritiva potentia semper est activa, ita sensitiva simul passiva est & activa: Qvia species sensibiles recipit & actum sentiendi ex illis elicit. Hinc sæpe speciem in oculo recipimus, cum tamen aliorum intenti, speciei objectum non videmus.

IV. Principium sensationis spiritus est, contentus in nervis, qui remotè quidem à corde diffunditur, proximè tamen progreditur à cerebro. Patet experientia eorum, qui deliquium animi patiuntur, vel etiam qui se circumgirant.

V. In-

V. Instrumentum quo anima utitur sunt **sensoria**, quæ denudata esse dicuntur à sensibili ipso, quia intus existent prohibet alienum. Q. an recte? Dicimus I. reale intus existens & **nativum** non prohibet extraneum intentionale, quia aliquis color depræhenditur in pupilla oculi, aliquis sapor in lingua, molles & calor in manu. Dices vitrum viride omnia, quæ per id videntur, efficit viridia: idem dicendum de oculo. R. medium largitur transitum speciebus, non nisi à se piñis: aliud sentiendum de albedine oculi. Dicimus 2. reale intus existens & **extraneum** impedit alienum intentionale. Hinc tintinnitus in aure gravis difficulter reddit auditum, humor in lingua amarus cœtera reddit amara, & humor in oculo vitiosus vitiosum reddit visum.

VI. Objectum sensationis sunt **sensibilia**. Ubi Q. an omne **corpus naturale** sit sensibile; R. corpus quæ cor-

pus

pus non est sensibile, sed per accidens.
Cœlum nec per se nec per acc., sensibile
esse putatur.

VII. Sensibile vel est *proprium* vel
commune e. g. qvantitas, qvod tamen
sensibile est non nisi mediantibus sen-
sibilibus propriis, qvia omne corpus
qvantum est, sed non statim visibile est
aut tangibile.

VIII. Objectum sensus exterioris,
nisi præsens sit, sensum non movet ;
in quo sensus exterior differt à phanta-
sia & intellectu , qvæ moventur etiam
objecto obſente.

IX. Sensibile immediate positum super
sensorium sensationem impedit , non au-
tem tollit: hinc humor in oculo non
videtur , si autem duriter premitur, vi-
detur aliquid splendor, non secundum
eam partem, qvæ est in organo, sed se-
cundum aliam remotiorem. Amaritu-
do, qvæ est in ipsa lingva, non gustatur,
nisi gustabile extrinsecum prius infe-
cerit.

X. Sen-

X. Sensile nimis remotum non sentitur, qvia species in medio languescunt
Simile quid videmus, in illuminatione facis ardantis,

XI. Instrumentum quo sensile utitur & sensorium moveret, sunt species sensiles. Has dari, constat i. ratione, qvia quod remotum est, immediate non agit. 2. experientia. Visibile à tergo existens, in speculo videmus, non nisi per speciem. Baculum in aqua fractum videmus, propter speciem quæ refractæ ad oculum nostrum veniunt. Interdiu quæ vidimus vel audivimus, in somno occurunt interno sensui, non nisi per speciem in memoria reservatam. Obj. I. species sunt dividuae & non dividuae. Dividuae sunt qvia extenduntur in oculo; non sunt dividuae, qvia in quovis puncto medii restota videtur. R. juxta Murciam, speciem esse divisibilem ex parte subjecti, quod materiale est, esse indivisibilem ex parte objecti, quod representatur non divisibi-

visibiliter, qvæsi hæc pars speciei repræsentaret hanc partem objecti, alia aliam: Sed qvælibet pars minima repræsentat totum, ut constat ex objecto, viso per rimam minutissimam.

XII. Species non sunt substantia corporeæ, qvia in uno eodemq; π&τ, penetrativè esse possunt multæ: non spiritualis, qvia spiritualis substantia, ut nobilis, non producitur à te corporea. Sunt ergò accidentia, immaterialia & spiritualia. Dices: Er. est nobilis sua causa. Objectum enim materiale est. R. immaterialitas speciei est ex imperfectione, ob entitatis exiguitatem, nam sunt spiritualia 1. per comparationem ad accidentia realia. 2. per similitudinem veri spiritus, qui totus est in qvavis parte, & penetrative inest.

XIII. Causa efficiens specierum, est objectum sensibile, à qvo pendent species, ut in conservari, ita etiam in fieri. Causa Finalis est unio objecti cum sensitiva potentia.

XIV. Species non sunt ipsum sensibile *ut quod* sentitur, sed signum formale *ut quo* sentimus. Hinc nullæ apparent species in aere.

XV. Species sensiles sunt similes objecto, ejusque imagines. Sunt autem similes non entitativè, qvia objectum materiale est, species immateriales; sed representativè.

XVI. Species rerum contrariarum non sunt contrarie, qvia se in uno eodemque tolerant subiecto e. g. in eodem organo & eodem puncto aeris, species rei albæ & nigræ, sonus gravis & acutus.

XVII. Q. Num ea imago, quam in speculo contuemur, sit ipsa species sensibilis? Aff. Dices: Species sensibilis non est id quod videtur. R. nisi fuerit expressa in materia apta.

XVIII. Q. Utrum species visibles ab objecto spontè prossiliant; an beneficio lumen reflexi & efformentur & provehantur. Sunt enim qui putant imaginem rei imprimi lumini, quod reflexum secundum vehat.

vehat illam objecti imaginem. Nos id fieri negamus, qvia imago objecti visibilis est, etiam qvo ob distantiam nimiam radius reflexus pervenire nequit. Experi-entiam habes in speculo reflectente radios solares ad remotum qvendam parietem; item in objecto lucido vel illuminato, per tenebras, in remoto loco, vel etiam in profundâ fossâ viso.

XX. Sensus non errant 1. circa obje-ctum proprium & proportionatum. Hinc minuti, sima non videntur, & ali-qvid, qvod secundum visum est saccharum, secundum gustum est amarum venenum. 2. positis omnibus ad senti-endum reqvisitis qvalia sunt; organum incorruptum, medium justè dispositum, interyallum itidem debitum. *Ra-tio positionis sumitur à fine, qvia cogniti-onis gratia dantur sensus.*

XX Sensus externi sunt qvinque? interni sunt duo. 1. Sensus communis. cuius officium est species sensibiles re-cipere, earum differentias discernere,

illasq; phantasiæ offerre. 2. *Phantasia*, cuius officium est species diutius retinere, examinare, & ex iis alias elicere.

XXI. *Phantasia* miram vim habet in corpus, non per se, sed per facultatem appetitivam & locomotivam; hæc enim mutant corpus.

Objecta movent sensus & appetitum, appetitus incitat potentiam locomotivam. Exemplum clarum est, in scenarum rerum imaginationibus.

XXII. *Memoria* non tam est sensus, quam sensus instrumentum, qvia non cognoscit, alioquin semper actu cognosceremus.

XXIII. Altera facultas animæ sensitivæ est *appetitus*. Qvia omne En bonum appetit, ideo omni Enti appetitus inest. Distinguendus igitur est appetitus *sensitivus*, ut à rationali, ita etiam à naturali: Ab hoc differt origine, qvod naturalis appetitus simpliciter sequatur formam & naturam; sensitivus à phantasiæ.

tasiam & experientiam. Ab utroque differt voluntas 1. *objecto*, qvia voluntatis objectum est bonum etiam spirituale & divinum, reliquorum appetituum objectum tantum sensile est & materiale. 2. libertate & necessitate agendi. Bestia enim, positis omnibus ad agendum requisitis, non potest non agere.

XXIV. Dividitur appetitus sensitivus in *concupisibilem* & *irascibilem*, qvi quodammodo inter se pugnant. Nam concupiscentia minuit iram intensam. Sic tauri furor mitigatur adductâ vaccâ.

XXV. Q. *Cur mortem afferat intensa tristitia & gaudium?* R. Spiritus in gaudio ad bonum amplectendum subito & nimium effusi, principium vitae relinquent; in tristitia ad malum evitandum idem spiritus ad suum principium retracti, illud nimia copia suffocant.

XXVI. Tertia facultas animæ sensitivæ est **Locomotiva**, qvæ ad appetivam facultatem se habet, ut executor ad directorem.

XXVII. Accidens propriam sensitivi est **somnus & vigilia**, *somnus* est negatio influxus spirituum, non *naturalium*, non *vitalium*, sed *animalium*: & oritur ab evaporatione alimenti, per spirituum collectionem, & in cerebrum revocationem.

XXVIII. Somni accidens est *somnium*, qvod oritur in phantasia, ex speciebus in memoria relictis. Sunt somnia præter *non naturalia*, vel *animalia*, qvæ ex solis phantasie imaginibus; vel *pure naturalia*, qvæ ex temperamento ortum habent. Ut per vitrum viride, objectum apparet viride; ita in natura pituitosa species apparent aquæ; in melancholica, tristes & tenebricosæ.

XXIX. Q. De somnambulis, quomodo inoffensi moveantur, & vocati cadunt?

R. du-

R. ductu spirituum animalium moventur etiam ad loca periculosa, qvæ tamen, ebriorū instar, nec cognoscunt nec timent: vocati cadunt, qvia terrore percussi, ubi sint, nesciunt.

XXX Q. *Cur galli à somno excitati cantillent?* R. vera causa sumitur ab analogia hominis evigilantis, qvi fuliginosis vaporibus depulsis pandiculatur, & oscitando vocem edit.

XXXI. *Respiratio animalium necessaria est, tū ob cordis refrigerationem, tum ob fuliginum emissionem, & deniqvè ob spirituum restaurationem.* Nec pisces excipiuntur, qyod enim pulmones sunt in homine, id branchiæ in piscibus; & ut in hominis respiratione materia est non tam aér qvam aqua subtilissima, ita in piscium respiratione, qvia ad frigiditatem naturam pronam habent, materia est aqua crassior.

XXXII. Q. *qvænam sit pars in corpore animali princeps?* R. Nobilitas petit potest vel ab actione, vel à necessitate

ad præsentiam animæ: Priori respectu principatum tenent simul Cor, Epar & cerebrum; Posteriori respectu Cor est pars princeps.

XXXIII. Q. *An magnitudo cordis sit indicium timiditatis?* Neg. Canis enim proportione habita ad corpus reliquū majus cor habet qvā eqvus, nec tamen minus audax. Pendet audacia à copia spirituum & calore, qvæ si est in minima quantitate in corde magno, timidū efficit animal, si in magna quantitate in corde parvo, efficit animal audax.

XXXIV. Animal si est irrationale dicitur **brutum**, estqve vel **volatile**, vel **natile**, vel **gressile**, vel **reptile**.

CAP. XIII. & ultimum.

De Homine.

I. Animal rationale est **Homo** qvī **parvus mundus** dicitur, 1. ratione graduū perfectioris. 2. ratione finis & convenientiæ 3. ratione intellectus, qvatenus is intelligendo fit omnia.

II. For-

II. Forma hominis est, *anima rationalis*, cuius facultates internae sunt, *intellectus & voluntas*. Intellectus objectum est verum, voluntatis est bonum. *Externae* facultates sunt risus & sermo.

III. Præter corpus & animam in homine dari spiritum aliquem siderum, qui sit tertia pars hominis, somnium est, quia nec pars est, quæ in pulverem revertitur, nec pars est, quæ seorsim manet. Deinde aut essentia corporalis est spiritus ille aut spiritualis; si prius, homo est bicorpor: si posterius, duplex ad Deum redit anima. Deniq; sive corpus sive spiritus sit, semper est superfluus.

IV. Objectum intellectus est, omne Ens tam reale quam rationis. In specie, ens cognoscit primo non tantum *universalia* sed etiam *singularia*: probatur 1. quia intellectus distinguit singularia ab universalibus. 2. intellectus intelligit etiam suammet singularem intelligentiam. *Sensus* quidem dicitur cog-

noscere singularia, intellectus autem universalia, sed *non exclusivè, non tantum.*

V. Secundò, intellectus etiam cognoscit *substantiam*, verùm non per se & primò, qvia substantia per se non est in phantasia, nam non est sensibilis per se, sed per formam aliquam accidentalem. Qvicquid autem primo & per se non est in phantasia, id etiam primo & per se ab intellectu non cognoscitur. Dices substantia prior est cognitione, qvam accidens. R. Cognitione *ortâ & distinctâ*, non cognitione *originali & confusâ*. Intellectus primum percipit conceptum accidentis confusum, pesteā per discursum cognitâ substantiâ, format conceptum accidentis distinctum.

VI. Intellectus cognoscit *seipsum & spirituales res alias*, non conceptu proprio, sed per speciem rei materialis, idqve vel per *ad similationem* vel per *negationem*, vel per *operationem*.

Obj.

Obj. Quicquid adest per essentiam, id non indiget speciebus ad sui intelligentiā, quia species tantum necessariæ sunt propter objecti absentiam, jam intellectus sibi adest per essentiam. *Er.* R. I. per instantiam, oculus sibi adest, non tamen se videt nisi per speciem reflexam. Deinde distingo inter esse rei simplex & esse objectivum. Intellectus sibi præsens est entitativè qvoad esse simplex, non objectivè, qvo ad modum cognoscendi.

VII. Qvamvis Deus non agnoscatur sine spirituali luce, bene tamen sine ea, naturali lumine cognoscitur, non comprehensivè sed apprehensivè; non positivè, sed negativè.

VIII. Sicuti oculus in videndo deficit propter objecti vel nimium splendorē vel subtilitatem nimiam: ita intellectus mediocribus intelligendis idoneus, intelligendo deficit propter nimiam objecti vel sublimitatem vel exiguitatem.

IX. De

I X. De ordine intelligendi naturali
dico 1. accidentia per se prius intelliguntur quā substantiæ, qvia omnis cognitio est ex sensu, substantiæ igitur ut per se non sunt sensibiles, ita etiam per se non sunt intelligibiles, e. g. homo primum cognitus cognoscitur, non ut homo, sed ut color extensus & figuratus. *Dico* 2. singularia prius cognoscuntur quam universalia, non distinctè sub propria ratione singularitatis, sed confusè. *Probatur* qvia nihil est in intellectu, qvin prius fuerit in sensu. *Dico* 3. inter universalia non est certus cognoscendi ordo, objectum qvod citius & fortius movet sensum, id prius intelligitur, sive species sit sive genus e.g. conceptus hominis facilius movet sensum, quam conceptus animalis; & conceptus piscis facilius movet, quam conceptus lucii.

X. Omnis omnino intelligendi actus incipit à sensu; juxta illud: *nibile est in intellectu, qvin prius fuerit in sensu, vel se-*
cun-

cundum speciem propriam vel alienam,
sive sit pars, sive oppositum, sive effe-
ctus, sive aliud principium, ex qvo con-
seqventer mens aliud quid colligere
potest e. g. priori modo intelliguntur
accidentia sensibilia: posteriori sub-
stantiæ, totum cœlum, mons aureus,
tenebræ, Deus & omnia accidentia in-
sensibilia.

XI. Intellectus cum sit indetermina-
tus, ut possit tam lapidem intelligere
quam arborem, indiget principio ali-
quo determinante, ut arborem nunc
intelligat, non lapidem. Principium
autem id objectum est. Porro objectum
cum sæpe absit, vel, si adest, impropor-
tionatum sit ad movendū intellectum,
indiget speciebus intelligibilibus ut intelli-
gatur, sicuti speciebus sensibilibus indi-
get ut sentiatur.

XII. Beneficio specierum intelligi-
bilium intellectus dicitur fieri omnia,
non essentialiter sed subjectivè, idealiter
& successivè. Cujus simile quid in specu-
lo videmus.

XIII.

XIII. Species intelligibilis spiritu-
litate non differt à specie sensibili; sive
esse simplex consideres, sive repræsen-
tativum. In esse simplici, utraqve est
ens spirituale, in esse repræsentativo,
ubi objectum corpus est, utraq; sit ma-
terialis. Superat tantum species sensi-
biles extensivè, qvod præter species re-
rum materialium etiam contineat spe-
cies rerum spiritualium.

XIV. Eadem species intelligibilis
diverso respectu *impressa* dicitur qvaten-
us sc. à phantasia intellectui impri-
mitur: & *expressa* seu potius *judicata*,
qvatenus intellectus receptam speciem
dijudicat,

XV. Pendere intellectum à phanta-
gia, maximè in specierum acquisitione,
pater experientia, nam i. phantasiā læ-
sà intellectus dementer judicat, Dein-
de obscurissima qvævis intellecturi,
sensibiles imagines nobis formamus.

XVI. Modus intelligendi hic est. i.
*necessè est imprimi in intellectum spe-
ciem*

ciem à phantasmate (qvæ est quiddam diversum, tum à phantasmate producente, tum à substantia, intellectus recipiente) qvia in intellectione conjunctionem fieri intellectus cum intelligibili necesse est. 2. species recepta & judicata est ipsa intellectio, ita ut species ista intellectionem nec præcedat, nec post eam servetur. Eodem modo objectum sensibile, esse principium productivum sensionis audivimus, nam & ibi 1. species phantasmati ab objecto imprimitur. Deinde species facultati sensibili impressa, & ab eo dijudicata, est ipsa sensatio, qvæ cum specie impressa & dijudicata incipit & desinit.

XVII. Duplicis officii ratione, quatenus vel à phantasmate species intellectus recipit, vel quatenus receptas species dijudicat, dividit, componit, unum ex alio colligit, duplex intellectus fingitur *Patiens & agens.*

XVIII.

XVIII. Alio sensu intellectus *agens* dicitur ratione inventionis, quatenus varias species celeriter confert, causas & effectus signa & signata, indeq; conficit allusiones, consilia, artes. *Patiens* autem dicitur intellectus, quatenus inventa intelligit, approbat vel rejicit. e. g. Cæsar Africam petens, atque navi egressus, pronus in terram cadit, quod cum aliis videbatur triste omen. Cæsar ait: tamen teneo te Africa. Concinnitatem dicti quavis intelligit, qui tamen eam, si quæsivisset, non statim invenisset.

XIX. Excellentes & singulares cogitationes intellectus inventoris à Deo ipso monstrari & regi certissimum est. Unde Averroes, intellectum agentem esse ipsum Deum, excellentiores motus in hominibus carentem disputatione.

XX. Q. An intellectus agentis sit abstrahere naturam universalem à singulari? R. concedo de abstractione distincta

distincta, qvæ fit vel per præcisionem
vel per comparationem: nego de con-
ceptu simplici & confuso. Ratio: lu-
pus appetit & concipit non ovem in
individuo, sed ovem in specie. Hinc
discernit inter ovem, ursum & lupum,
animal sibi simile. Ita canis latrans
distingvit inter arborem immobilem
& animal mobile. Hinc beneficio
specierum, non de individuis tantum,
sed etiam de speciebus in phantasia
conceptis, canis somniat.

XXI. Q. *An intellectus sit inorganicus?* R. eget utique corpore ut sub-
jecto & objecto, à qvo venatur suas
imaginationes; dicitur tamen non ege-
re corpore, ut organo intellectionis,
qvod anima rationalis etiam à corpore
separata actus intellectus exercere pos-
sit, ubi actus sensitivos & vegetativos
nulos exerceat. Dices 1. intellectus
intelligit spiritualia, ergò non indiget
corpore. 2. Qvodcunqve corporeum
est seu corpore indiget id læditur à ve-
hemen-

hementi objecto. R. ad 1. intellectus seipsum & alia spiritualia concipit non sine corporali imagine. Ad 2. invertendo, mens enim intensa meditatione fatigatur & caput quandoque dolet.

XXII. Simpliciter de mente aliquid dicendo, mentem optimè concipiimus tanquam potentiam animæ summā, & cœlestem quandam facem, quæ lucem cerebro præbet: neque enim ita anima concipienda est, quasi alia sit sentiens alia rationalis, sed una eademque est in homine anima. Hæc species sensibiles phantasmate exceptas examinat & ruditer dijudicat, quod animæ rationali cū brutali commune est. Postea autem adhuc longe diviniori potentia pollet & ut fax quædam divina in phantasia, distinctè conceptas species examinat, componit dividit & unū ex alio colligit.

XXIII. Q. Utrum dentur notitiae connatae? Dico 1. intellectus non est instar tebulæ rufæ. Errat, qui per reminiscientiam nos intelligere dixit, Plato, quasi

quasi omnes notitias actu posse deamus,
 quæ obliteratæ exfusca tantur objectis:
 Nam animas ante conceptionem seorsim extitisse absurdum est. Dico 2. Intellectus non est prorsus tabula nuda sed sicut suam in mundum afferunt cognitionem bruta; ita in homine dantur principia quædam connata, tam theoretica, quam practica. Probatur 1. Rom. 1. & 2. ubi quædam notitiae omnibus hominibus tanquam per se claræ, naturâ inesse dicuntur, eo fine ut omnes sint inexcusabiles. 2. Ex imagine Dei, quæ infuit inhærenter & connaturaliter: ejus autem quædam rudera sunt principia cognitionis. Hinc homo ad imaginem Dei adhuc creatus dicitur. Gen. 9. v. 6. Dices 1. homo dicitur factus ad imaginem Dei, tantum respectu primi hominis 2. Imago notat tantum generalem quædam convenientiam cum Deo. 3. notat ipsam intelligendi potentiam, non connatas in intellectu notitias. R. ad 1. notatur aliquid quædam

qua prærogativa , qvam homo adhuc
 inter cœtera animalia possidet. Ad 2.
 si id esset, tunc vi legis, in citato loco
 bestiæ non magis essent occidendæ, qvā
 ipsi homines. Ad 3. potentia intelli-
 gendi consistit in colligendis conclusi-
 onibus ex qvibusdam principiis notis
 & concessis. Præsupponit ergo princi-
 pia, qvæ non præceptor sed mater na-
 tura nobis propinavit. Probatur 3. te-
 stimonio conscientiæ e. g. Nero ma-
 tricida damnatus fuit interno judice
 per legem, non qvam homines dictita-
 rant ; hanc enim susq; deq; habuit : sed
 aliam altis radicibus à nativitate cordi
 infixam. Objicitur (1) Qvicqvad intel-
 lectus habet, habet operâ phantasiæ. Ni-
 hil in intellectu, qvod non pri⁹ fierit in
 sensu. (2) Ps. 14, 1. stulti dicuntur negare
Deum qvod comprobat experientia in
 Americanis & multis aliis. R. ad 1. Dist.
 inter cognitionem naturalem & habi-
 tualem ; seu inter notitiarum *κτίσιν* &
τεχνήσιν;

ζενήσιν. Intellectus habet notitias ante phantasmata, & sine operâ phantasmatis, sed iis non utitur. *Ad 2. sensum Psalmi explicat Paulus Rom. 1, 18. veritatem detinuerunt in injustitia.* Sicuti principia notissima, ita Deum negant temerario ausu, verbo sc. externo & opere, intus tamen convicti.

XXIV. Potentia intelligendi naturalis fit *habitualis* 1. per custodiam imaginum in memoria sensitiva, ad quas intellectus se convertens intellectionem priorem elicit. 2. per habilitatē aliquam intellectus, ex iterata operatione comparatam, qua maiorem in operando habet potestatem & facilitatem ad easdem res intelligendas, quam non habebat pri. Mens n. ut *Zabarella* loquitur lib. de spiecib. intellectualib. c. 8. nascitur rudis & inepta ad rerum cognitionem statim capiendam, ideo necesse est, ut laboret & investiget, ut discat & inveniat. Sed postquam semel rem aliquam apprehendit, si diu in ejus contemplatione versetur,

tunc,

tur, acqvirit. habitum, i. e. habitatem qvandam, qva potest, qvādo vult, rē il-
lam speculari absq; exercitio & labore.
Ideoqve, ut iterum cū *Zabarella* loqvar,
qvando vult, ad phantasiam se conver-
tit & absq; ullo labore fit hæc res vel il-
la, qvia jam est exercitatus in eorundem
phantasmatum inspectione & earundem
rerum cognitione.

XXV. Habitus ille qvi aptum intel-
lectu reddit ad rem oblatā statim absque
labore intelligendam, qyatenus fixus est
in intellectu, titulo *memoriae intellectiva*
salutatur.

XXVI. Differt à memoria *reminiscen-
tia*, qvod præexigat oblivionem, qvā
oritur tum ex imaginum in organo cor-
poreo obliteratione, tum ex diuturna
actionis omissione.

XXVII. Ratione finis, qui est vel co-
gnitio vel praxis, intellectus in *theori-
cum* & *practicum* distinguitur.

XXVIII. Qvicqvid cognoscitur sive
intellectu theoricō sive pratico, id vel
princip.

principium est, vel ex principiis deducta conclusio. Principia dicuntur naturae nota, nō qvod cognoscantur statim, simul ac in lucein edimur, sed qvod eorum veritatem sine labore & præceptore cognoscimus. Dices: Principiorum est aliquis habitus qvi intelligentia dicitur R. habitu opus est ad promptiore cognitionem. Cognitis terminis, principia naturæ nota, sine discursu cognoscuntur, ut autē eò promptius veritatē apprehendamus, exercitio opus est, & vel ipsi termini paulo səpi° sunt considerandi.

XXIX. Quicqvidex principiis deducitur recta ratio & rectum judicium dicitur, qvod qvatenus circa practica versatur, Rom. 2, 15. opus legis dicitur cordibus hominum inscriptum.

XXX. Q. an recta ratio possit errare & cum fide pugnare? anima rationalis qvidem errori est subjecta, & ipse hominis intellectus: judiciū tamē intellectus seu rationis rectum neqvaqvam, qvia contradictorium est, aliqvid recte seqvi

ex

ex veris principiis & tamē esse falsū. *Dicō* 2. intellectus & ratio non quidem adseqvitur omnia, in iis tamē quae adseqvitur, non errat, si recte judicat. *Obj.* Quid ex natura corrupta, id ipsum corruptum. R. limitando: quicquid ex natura corrupta totaliter, id corruptum esse necesse est. Intellectus homini corruptus quidem est quoad spiritualia sed non prorsus quoad naturalia.

X X X I. Altera facultas animæ rationalis **Voluntas** est. *Voluntariū* distinguitur à *spontaneo*. Voluntariū n. perfectam seqvitur cognitionem finis, qua finis sub ratione finis cognoscitur, & proportio ejus, quod ordinatur ad finem. Deinde agens voluntarium deliberat de fine & de his quae sunt ad finem, cum libertate, ut possit moveri in finem vel non moveri. Spontaneum contra, seqvitur imperfectam cognitionem finis, qua finis cognoscitur sed non sub ratione finis, nec proportio ejus.

ejus qvod ordinatur ad finem. Deinde agens spontaneum fine apprehenso, nō deliberat, sed subito non liberè moveatur in fine. Hoc competit etiam brutis.

XXXII. Voluntarium dicitur qvicquid à voluntate descendit, qvod fit dupliciter 1. *directe*, qvatenus voluntas agit. 2. *indirecte*, qvatenus non agit voluntas, sed vel plane non vult, vel saltē permittit.

XXXIII. Actus voluntatis duplex est: 1. *elictus*, qvem voluntas ex seipsa elicit. 2. *imperatus*, qui est à voluntatis imperio, qvatenus aliam potentiam excitat, à qua actus elicetur, ut ambulare.

XXXIV. Voluntas latē considerata pro objecto habet tam bonum quam malum, illud ut prosequatur, hoc ut fugiat.

XXXV. Q. An voluntas posfit appetere malum sub ratione mali & nolle bonum sub ratione boni? R. Neg. nam in appetitu non inclinatur nisi in id qvod sibi convenienter est, vel esse putatur. Deinde impius

pius non amat facinora sua, sed aliud,
cujus causa illa agit. Nullum sine au-
ctoramento malum est, mercede te vicia
solicitant, qvod dictum Senecæ est. Obj.
1. Voluntas odit Deum, in quo nulla ra-
tio mali. 2. si malum non appetimus
sub ratione mali, nullū peccatum est ex
malitia. 3. si voluntas non possit nolle
bonum sub ratione boni, in bonū non
fertur liberè. R. ad 1. voluntas, qvæ
Deum aversatur, aliquid boni in fuga
illa apprehendit. ad 2. ad peccatum ma-
litiosum sufficit, ut qvis malitiosè in ve-
titum feratur, licet ad illud eum seducat
utile aliquod & delectabile. ad 3. fertur
voluntas in bonum liberè, non qvod
possit velle & odire, sed qvod possit velle
& non velle.

XXXVI. Q. Utrum voluntas tantum
sit finium, an etiam mediorum? Affirma-
tur utrumq; qvia utrobiq; reperitur ra-
tio boni. Qvia tamen media non sunt
bonum propter se, sed ex ordine ad fi-
nem, ideo voluntas in media non fertur
per se sed propter finem,

XXXVII. Q. An duabus semper actibus voluntas in finem feratur & media? R. ferri potest uno actu in utrumque, vel virtualiter & implicite, juxta regulam: Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia; vel formaliter & explicite. e.g. si quis appetit sanitatem reparandam per medicinam.

XXXVIII. Q. qvib[us] rebus moveatur voluntas? R. ab intellectu & sensu, quatenus hi voluntati suum objectū ostendunt. Dices: ipsa voluntas ad cognoscendum excitat & sensum & intellectum. E natura est prior. R. voluntas non excitat qvicquam ad agendum, absq[ue] prævia cognitione alicujus boni.

XXXIX. Q. An voluntas determinatur a judicio intellectus? R. intellectus qvidem illuminat & dirigit voluntatem, ostendendo ei rem, qvæ amari aut adiutori haberi merito possit, volitionem tamen non producit, nec necessitatem volendi assert, qvia 1. voluntas non necessario agit, sed liberè; 2. intellectus plura ob-

jecta repræsentare potest, ut media ad eundem finem, inter quæ tamen voluntas eligendi potentiam servat.

XL. *Q. An voluntas errare posset nullo præcedente errore intellectus?* R. plerumq; errorem voluntatis, præcedit aliquid vel error, vel ad minimum inconsiderantia intellectus, dum intellectus non satis diligenter considerat quid melius aut pejus. Verum hoc non est necessarium, quia etiam quod malum aperte judicamus, propter voluptatem conjunctam appetimus: & quod optimum esse aperte videmus, propter adhærentem molestiam declinamus, ubi intellectus non errat judicando, sed voluntas perverse agit eligendo.

XLI. *Q. An imperium, quod anima rationalis habet in reliquias potentias, voluntati competit, an v. intellectui?* R. imperium non tantum præscriptione, sed motione aliqua & impulsu definitur: imperare enim est ostendere alteri, quid faciendum, cum vi quadam impellendi

lendi & cogendi. Dico itaq; i. imperium non est in sola voluntate, qvia hæc nihil potest ostendere & præscribere. Non 2. in solo intellectu, qvia (1) intellectus munus non est impellere (2) præscripto intellectus voluntas non necessario paret. sed 3. in utroq; in intellectu & voluntate; in illo, ratione præscriptionis; in hac, ratione impulsus. Dico II. voluntas regi similior est qvam intellectus; & intellectus consiliario similior est qvā regi; qvia etiam ipsum intellectum ad intelligendum movet voluntas. Dices; velle non statim est imperare, qvia non tenemur vivere juxta id, qvod magistratum velle scimus, sed juxta id, qvod præcipit. R. dist inter imperium externum qvode est in alios; & internum, qvod est ejusdem in seipsum, ubi velle est imperare.

XLII. Q. Quale sit imperium voluntatis in alias potentias, & qvomodo ha pareant. R. i. voluntas habet imperium de voluntate in intellectum, qvoad actum:

in locomotivam quo ad actum & specifica-
tionem simul. 2. imperium πολιτείας
voluntas obtinet in affectu, quia repre-
mere surgentes animi motus potest, et
iam imaginationem, quae motus exci-
tat, avertere alio; non tamen obediunt
omni ex parte affectus, qui ceu rebeller-
tives s̄epe impetu suo, non advertente
intellectu, voluntatem anteveruntur;
s̄epe etiam, advertente intellectu, ju-
gum detrectant, maximè cum voluntas
non perfectè sed languide in contrari-
umeos pellit. 3. in vegetativas poten-
tias nullum est imperium voluntati,
vener enim caret auribus. Evidem
applicare patiens ad agens est in pote-
ntiae voluntatis, nequaquam autem
actio, quae applicationem sequitur. Hæc
enim tota naturalis est.

XLIII. Adjunctum voluntatis pro-
prium est. **Libertas** tum à necessitate,
tum à coaction. **Coactum** seu violentum
est cum principium foris est. **Necessari-
um** quod indifferenter se non habet ad
utram.

utramque pattern contradictionis, i. e.
quod non potest agere & non agere.

XLIV. Est præterea alia libertas
contradictionis, quæ est in exercitio
actus, ut possis agere vel non agere;
alia est contrariesatio, quæ est in specifi-
catione actus, ut possis hoc agere & il-
lud, hoc modo & alio.

XLV. Dari ejusmodi libertatem in
homine constat, præter ipsam experi-
entiam, 1. ex consultationibus, quæ
frustra institueretur, si penes hominem
non esset facere aliquid vel omittere,
2. ex natura virtutum & vitiorum, nam
conformari ad honestatem nihil potest,
nisi id quod est in potestate nostra; sic
male agere mortaliter ille tantum dicitur,
cujus actio honestati conformis non
est, cum esse tamen & poterat & debe-
bat.

XLVI. Q. An libertas tantum com-
petat voluntati? R. radix quidem liber-
tatis est in intellectu, quia ubi non est
rerum cognitio & comparatio, ibi nul-

la esse potest libera appetitio : formaliter tamen libertas est in sola voluntate. Nam intellectus libertatem in se non habet 1. qvoad exercitium actus: voluntatis enim est considerare vel non considerare. Nec 2. qvoad specificationem actus, ibi enim pendet ab objecto qvod vel perspicuum est & evidens, vel (2) penitus obscurum vel (3) probabile. Si prius intellectus necessariò vel ad sensitum vel dissentit; si alterum, tunc neutrum agit, sicut oculus non videt, cum lumen deest. Si tertium tunc intellectus judicium suspendit, qvia enim objectum in utramque partem trahit, una motio impedit alteram, nisi forte ad consensum vel dissensum moveat voluntas. Obj. Infantes & amantes agunt libere, parent enim aliquando admonitionibus & objurgationibus. Infantes & amantes non utuntur ratione. Er. qvoddam qvod non utitur ratione agit libere, & conseqenter libertas non est in parte aliqua rationali. R. infantes

& a.

& amentes aliquo modo utuntur ratione, quamvis sine perfecta boni & mali notitia, aut si ratione plane uti nequeunt, nec libere agunt. Dices: persuasionibus moventur. R. quatenus simplici boni & mali apprehensione, nec non naturali metus & spei inclinazione ducuntur, qvod etiam locum habet in brutis.

XLVII. Q. *An voluntas fit libera in omni suo actu?* R. Qvoad specificationem actus, bonum in universalis, naturaliter & necessario appetit voluntas: bonum particulare potest velle & nolle, prout molestiae aliquid id sibi coniunctum habere vel non habere videtur. Qvoad exercitiū actus bonum & in universalis & in particulari liberè appetit, sicuti nec necessariò intellectus de bono vel in genere vel in specie cogitat.

XLVIII. Q. *An voluntas fit libera etiam instanti, qvo aliquid vult?* R. actus voluntatis necessarius est ex hypothesis. Posito enim qvod voluntat agat, non

sq.

potest

non agere; non tamen necessarius est
absoluté, sed potentia volendi manet
etiam libera, eodem tempore quo agit,
ut possit agere & non agere, veletiam
aliter agere.

XLIX. Q. *An voluntas non posse cogi*: Affirm. de actibus imperatis, negatur de actu elicito, quia velle est ex interno principio ad aliquid inclinari. Cogit autem à principio ex interno moveri. Contradiccio ergo est velle per coactionem. Sic homo per coactionem potest trahi in carcerem, ut tamen velit trahi, non potest cogi.

L. Q. *An in bestias cadat ratio & voluntas.* Dico. I. concedimus bestiis iudicium aliquod estimativum sed non rationale; providentiam etiam naturalem & sensitivam, sed non intellectivam. prius patet ex effectu, noverunt se prudenter conservare, perniciem effugere, alimentum unum praeter altero eligere, mirandas operationes praestare, syllogismos quoque confidere, qui tamen


non

non sunt bestiarum, sed hominum,
 actiones considerantium: posterius pa-
 tet 1. ex scriptura Ps. 32, 9. ubi bestiis
 aperte de negatur intellectus. 2. ab esse-
 ctu, equus & elephas si ratione valerent
 à pufione si tractari non paterentur.
 Deinde nequeunt ascendendo ex mul-
 tis experientiis colligere regulam ali-
 quam universalem, nec descendendo
 regulam universalem ad singulares cir-
 cumstantias accommodare. Dices:
 Pullū granum, qvod omnium primum
 videt comedens, inde universaliter col-
 ligit, granum esse comedendum, post-
 ea universalem notitiam ad usum tra-
 hit, qvoties granum videt. R. hoc fit
 beneficio memoriae, non intellectivæ,
 sed sensitivæ. Obj. in bestiis est 1. ser-
 monis proditor 2. sermonis intel-
 lectus, 3. ars & disciplina. R. Ad 1. lo-
 quuntur, non per intelligentiam sed per
 imitationem. Ad 2. percipiunt voces
 usu, rursus beneficio memoriae & phan-
 tasie: verbis etiam non rhetorice sua-
 dentur

dentur sed physicè coguntur. *Ad 3.*
 non omne disciplinabile est rationale;
 possunt enim bestiæ & adsuefieri, virtu-
 te memoriarum sensitivæ. *Dico 2.* in be-
 stiis non est voluntas, adeoque nec vir-
 tus, quia non habent libertatem con-
 tradictionis, & positis ad agendum re-
 quisitis, nequeunt actum suspendere.
 Deinde virtutum imagines, quas in be-
 stiis deprehendimus, non habent
argutias sed *φύσεις*, hinc omnes
 formicæ sunt providæ. *Objicitur pœ-*
na, quæ cadit etiam in bestias. R. bestia
 pœnam patitur e. g. serpens Adamum
 seducens, non propriè sed *imputativè*,
 ad detestationem peccati.

L.I. In corporis humani facie &
 manu natura varietatem fecit non fru-
 stra. Sunt enim imagines mentis
 & affectuum.

F I N I S.



OS(O)90








9. Nov. 1957

F. Reppien

non sunt bestiarum
actiones considerantur
i. ex scriptura Ps
aperte de negatur inter
ctu, eqvus & elephas
à pufione si tractari n
Deinde nequeunt asc
tis experientiis collig
qvam universalem, i
regulam universalem
cumstantias accom
Pull⁹ granum, qvod c
videt comedens, inde
ligit, granum esse co
ea universalem notit
hit, qvoties granum v
beneficio memoriae,
sed sensitivæ. Obj. i
morationis proditor
lectus. 3. ars & discipli
qvuntur, non per inte
imitationem. Ad 2.
usu, rursus beneficio i
taſiæ: verbis etiam ne



the scale towards document